



1533









A-XXO.B. 22. Sept. sub. 12. ... h. ...
morbus ... per ... ...

in dec. gal. ... natibus ...
... pag. 2a de ...
... et ut ... cor

De p. ... ...

Utrum pertineat probare res a priori
Medicum vero a posteriori ut ... Mont. ...
xvij aphor. 2ae sectionis et hoc ... ...
artifex ... ... probare res ... ...
... et sic ... empiricus ... ...
observatione probat, sed ... licet ...
... posteriori

...

Fol. 10

Que in arculis est cepi

Pill. mirre | croci | aloes | cinamomi | ℥ | iste pillule purgant superflua et congregant uertu membra principalia et conseruant sanguinem a corruptione

Declinatio | vide ad f. 68. 5ᵃ secᵃ. ubi docet quot modis fiat. aduersio
Expulsio fit ad vicina. auersio ad longinqua opposita seu contraria ut Gal. 4. meth. med. cap. 6. quando materia est in fieri debemus reuellere quando in membro infixa declinare per uicina magis expedit ... ex co... 5.º in fine

In ulceribus | signa | uiciosi succi est durities situs
Affectus | uitiati succi | curo ... euacuatio est ut Gal. 4. ... cur. cap. 5.

ORIBASIUS

ORIBA-
SII MEDICI CLARISSI-

mi cõmentaria in Aphoriſmos Hip-
pocratis hactenus non viſa, Ioannis
Guinterij Andernaci Doctoris Medi
ci induſtria velut è profundiſſimis te-
nebris eruta, & nunc primùm in Me-
dicinæ ſtudioſorum vtilitatem ædita.



PARISIIS
Ex officina Simonis Colinæi,
1533

FRANCISCO A' VI-
COMERCATO MEDIO-
lanẽſi, Sereniſſimæ Galliarum Re-
ginæ Leonoræ Medico clariſſimo,
Ioannes Guinterius Andernacus,
Salutem.



VVM NVPER in bibliotheca quadam nõ contẽnenda, vir literis ſpectatiſſime, reperiſſem fortè Oribaſii illius, Iuliani Imperatoris Archiatri, in Aphoriſmos Hippocratis commentarios, cum tineis & blattis ſtrenuè pugnanteis, ſubiit demirari craſſam ſupinámque ſuperioris ſeculi medicorũ negligentiam. quibus non curæ fuit vel hoc ſatagere, vt egregios, ne dicam neceſſarios, Medicinæ ſcriptores ex bibliothecis in lucem æderent. Ve-


teres nihil intentatum inexpertúmq; reliquerũt: nihil occultatum, quod non prodesse posteris cuperent. Pompeius cognomento Magnus, superato Mithridate, cõmentationũ Medicinæ, ac Antidotorum exemplaria, quæ ille in arcanis suis reliquit, transferre sermone nostro, vt vitæ hominũ prodesset, libertũ suum Lenæum iussit. Medici illi, quorum huius maximè intererat, authores priscos non modò situ obsolescere, sed etiam barbarissimos & peregrinos scriptores, in vicem optimorũ surrogari, sunt passi. Vix nuper Galenus in arte sua princeps, medicorum filiis cœpit innotescere. Ante annũ Paulus Aegineta latuerat. Oribasius in hunc vsque diem incognitus est. Quid multis? Tota veterum medicina, quæ longè erat præstantissima, non neglecta, sed extincta propémodũ habetur. Hinc est q̃ hodie nõ pauci Thessalei medici antiquos autho-

res,per quos cōſummatur profeſſio,ignorent, contemnāt, deſpuant: formulis aliquot vulgatis medicaminū contenti. Verùm quanto id mortalium fiat diſcrimine,nemo qui ad aliquam ſyncerioris medicinæ cognitionē peruenit,ignorat. Quare nos hactenus quanta potuimus induſtria & labore, veteres Græciæ authores latinitate donare ſumus aggreſſi. Primū Galeni libros ferè quadraginta,atq; plures ex iis nūquam antea ſiue barbaris ſiue eruditis attactos: quos omneis nūc recèns diligentia quàm licet maxima recognitos,emittemus. Deinde Paulum Aeginetam, qui ob exemplarium vitia & diuerſitatem, plurimum exhibuit negotii. Nunc autem in Aphoriſmos Hippocratis cōmentarios Oribaſii,qui Galeno & ætate & diſciplina proximus extitit,in communem vſum profero. Commentarios inquam non pœnitendos, vt qui ſuccinctius

omnia quàm Galenus, & sicubi difficultas lateat, explanatius, tradant. Hos igitur diebus aliquot emaculaui, erant enim deprauatè admodum descripti, ne vitam alienis bonis, quod alii faciunt, defraudarem. Quem laborem tibi vir excellentissime, nominatim appendere visum est, qui tum veterem tum nouam percalleas medicinam: qui in mathematis altioribúsque disciplinis nulli vel Italorum vel Gallorum cedas. denique qui tãta curandi ægros dexteritate & methodo polleas, vt omnibus facilè medium, quod aiunt, vnguem ostendas. Hac enim ratione Galliarũ Reginæ illustrissimæ medicus es creatus. hac in grauioribus Principum morbis vbique accersiris. hac te Galli amant, Itali venerantur, vtrique expetũt. Proinde vigilias has nostras hilari fronte excipias, Francisce doctissime, & contra morsus vitilitigatorum, vt alias soles, defende. Præ-

ſertim aduerſus eos qui falſo eruditionis titulo, in aulam veſtram irrepſerunt. qui ſæpe noſtra reprehendere, nunquam meliora poſſunt reddere. Quod ſi pergas facere, ſenties breui, maius aliquod opus me, quod tua ſit dignū doctrina, tua familia illuſtriſſima, emiſſurum. Vale. Lutetiæ, Calendis Martii.

PRAEFATIO ORIBASII IN APHORISMOS HIPpocratis.



VONIAM OPORtet ſemper in omni libro quędam neceſſaria prædici, idcirco hic eſſe præfandum mihi exiſtimo. Nimirum ꝙ Hippocrates nos in hoc commentario, vt magnanimus paterfamiliâs, ſermone fretus, ad ſuæ doctrinæ pabulum inuitare contendit. proponens enim veluti menſam, copioſas offert dapes, vt quiſque quod deſiderauerit mẽte conſequatur. Nec prætereundum hoc ſilentio eſt, quòd clariſſimus ille author doctrinæ ſecretiora, cõpendioſo atq; diſtincto ſermone, cuncta velut medicinæ candidatis excerpẽs, manifeſtare conetur. In præſenti igitur libro: eò ſtudium ſuum dirigit, vt totius artis breuiter capita perſtringat. Quippe deſcribit hic hominis vitam, naturáſque rerum, artis prolixitatem, occaſionis velocitatem, experientiæ fallaciam,

ægritudines,& earum accidentia, locorum,aerum,aquarúmq; diuersitates,curationum modos, temporũ ordinem & eorum qualitates,nec non & varietates totius,vt breuiter dicam,artis. Itaq; particulas breuitatis medicinæ , & absolutionis exequi,libri huius scopus est.Scopum verò dicimus,propositũ, quod absolutionis finem respiciat. Vtilem verò dicimus librum hunc,qui totius artis in se contineat breuitatem. Sed quæstio inter hæc oboritur,an Hippocratis Coi sit proprius? Apud veteres enim multi nũcupati sunt Hippocrates,vnde asserunt aliqui,librũ istum Hippocratis Coi non esse. Quibus hoc pacto respondetur: Rufus,Pelops, Lycus,alijq; multi, librum hunc Hippocratis Coi esse affirmarunt. Deinde,quòd nemo tale opus aggressus sit post Hippocratem,quem Philosophi amicum naturæ dixerũt. Tentauit quidem Democritus talem conscribere,sed non potuit. Quinetiam apud Græcos aphorismi primùm ex studiosissima Hippocratis Coi opera,& solicita indagine, inclaruerunt. Apud Latinos autẽ translatione Pelopis, qui cautissimè verbum

è verbo transferens, imitatus est Hippocratis breuitatem. Interpretes extitere Hippocratis, Pelops, Lycus, Rufus, Soranus, Domnus, Galen9, Attalio, & multi alij. Sed & ego ipse cõmentarios conscripsi, monente Ptolemæo Euergete, post septuaginta perfectissimorum medicorum examinationem, qui vnà medicinã prælegerunt, & Philosophicas quæstiones discusserunt. Porrò, quærendum venit, in quam partem artis medicinæ, liber hic redigatur. Medicina enim speculatiua est, & actiua. Sed dicimus, in vtranq; redigi. Omnium enim ægritudinum speculationẽ, nec non & actus, tanquam cognata sibi comprehendit, connectítq;. Speculatio paruo tẽpore comprehenditur, actus multo indiget. Hoc quod paruo tempore absoluitur, illud præcedit semper. igitur in eo quod nec multo tempore comprehenditur, sedulò studendum est. Sed quis non malit, in ea permanere doctrina, in qua semper possit esse securus? Ergo vtranque medicinæ partem liber hic complectitur. Cæterùm si, quo ordine legẽdus sit, quæras, Certè, quãtum ad candidatos medicinæ

attinet, tertio loco legi debet: ſed quantum ad doctos, etiã vltimo. Etenim qui initiantur arti, primò legant ſacramentum ipſius Hippocratis, inde librũ præceptorum, tertiò librum hũc, in quo totius artis ſpeculatio continetur. Docti hunc poſtremum relegant, vt ea quæ in alijs legerint, hic omnia commemorẽt. Modus doctrinæ ſi quæritur, eſt quadruplex, intellectualis, complexorius, diuidens, & diffinitiuus. Intellectualis dicitur, eò quòd intellectu, id eſt, contemplatione, tam virorũ, quàm mulierum ægritudines exequatur, & conſideret. Complexorius, quòd omnia cõplectatur ſeu comprehendat, nihílq; relinquat. Diuidens, eò quòd corpus humanum in partes diuidat, earúmque ægritudines particulatim declaret. definitiuus, quòd cũcta definiat, rectéq; determinet. Habent quoq; hunc ordinem, vt prior ſit intellectualis, deinde cõplexorius, inde etiam diuidens, ad vltimum diffinitiuus. Prius enim rem intellectu tenemus, pòſt verò intellectam, ſicut eſt, totam complectimur, inde etiam ac ſi per intellectũ comprehenſam diuidimus, ad vltimũ autem

comprehensione diuisam definimus, & determinamus. In quos etiam modos liber iste redigitur. At, in quot partes pręsens liber aphorismorũ diuiditur? Soranus diuisit in tres, Rufus in quatuor, Galenus in septẽ. In quibus habentur digesta omnium ægritudinum prognostica, vtriusq; sexus, tam in infantibus, quàm in pueris, iuuenibus etiam, senibus, & decrepitis. Vt enim Pelops magister Galeni dicit, humanæ vitæ partes sunt quinque, otiosa, laboriosa, iuuenilis, senilis, decrepita. Otiosa, in qua infantiæ tarditas ostenditur. Laboriosa est puerilis, in qua exercitationum intemperantias denotamus. Iuuenilis, quæ ætatis perfectæ robore insignitur. Senilis, in qua iam roboris declinationem videmus. Decrepita, quæ quasi iam finis aut bona, aut mala dicitur. Si enim roges certam aphorismorum rationem, quot sint, tot nimirũ & libri partes. Quid est aphorismus? Sermo breuis integrum sensum propositæ rei describens. Sed iam ad ipsum textum aphorismorum redeamus.

Explicit prologus.

ORIBASII IN APHORISMOS HIPPOCRAtis, commentarium incipit.

APHORISMVS. I.



Ita breuis, ars longa, occaſio præceps, experimentum fallax, iudicium difficile eſt.

Statim per initia ſermonis, Hippocrates propulſare videtur magis quàm inuitare audiẽtes. Non tamen vt omnes qui artem vel diſciplinam medicinam aggredi deſiderant, profugos reddat, ſed vt quantum candidatorum aures poſſunt percipere, hanc memoriæ commendent. Sicut enim nutrices infantibus recens natis, quos alendos acceperunt, continuò ſolidum non offerunt cibum, ſed eum quidẽ ſeruant, dum fuerint prouecti. Sic Hippocrates altioribus ceſſans quæſtionibus, protinus vitam dixit eſſe breuem, & artem longam: rem mediocrem ſciens & reticens, quòd ſcilicet medicina ſpeculatiua eſſet & actiua, & quòd multis modis diuidatur ſpeculatio, multis & actus, qui illa maior. Ideóq; longam artem vitæ comparauit breui, vt auditores attentiores redderet. Occaſio præceps dixit, quia omne quod immutatur, niſi velocitatem habuerit immutari non poteſt. Sumas in exemplũ fluuium currẽtem ſine intermiſſione, in quem ſi volueris digitum ponere, & releuare, iterúmq; deponere, non eandẽ aquam tangis, ſed modò vnam,

modò aliam. Quatuor itaqꝫ ſunt tempora, ſiue generalia, ſiue ſpecialia morbis cognoſcendis, vel præſidijs adhibẽdis, ſeu cibo dãdo: initiũ, augmẽtum, ſtatus, & declinatio. Experimentum autem fallax. Quæſtio hic venit contra Hippocratem. Si experimentum eſt, quare fallit? Et occurrit talis ſolutio. Pone eſſe podagricam paſſionem, & inuenit medicus præſidium expertũ in podagricis, & neſcit, vtrum in initijs conueniat, an in augmento, an in ſtatu, an in declinatione. Et ſi conuenit in ſtatu, dat illi in augmento, & fallit. Omne enim quod fallit, tribus modis fallit, aut ex opifice, aut ex materia, aut ex organo. Si opifex peccat, medicina non peccat, materia verò peccat. Iudicium difficile. Ad fallax experimentum, iudicium difficile retulit. Iudicium enim duobus modis fit, aut ad vitam, aut ad mortem. Difficile dicit, propter fallax experimentum.

APHORIS. II.

NOn ſolũ ſeipſum officio fungẽtem exhibere oportet, ſed etiam ægrũ, & aſſidentes, & extranea.

In primo Aphoriſmo de longitudine artis, & breuitate vitæ loquutus eſt, vt hi qui futuri ſunt medici, cum omni fortitudine atque conſtantia animi, ſtudio incumbant. Ideóqꝫ meritò eam arduam & longã eſſe dixit. Deinde volens animos eorum fatigatos recreare, ſedulitatẽ diſcendi addidit. Non ſolũ, inquiens, medicus debet eſſe cautus apud ſeipſum, ſed & omnia rationabiliter agere, vt ægri animum oblectet, & hic illi per om-

nia obœdiat. Sed & miniſtri ægrum obſeruent, vt in nullo peccent, & ea quæ foris ſunt nihil impediant, hoc eſt, nuntius malus, aut ſtrepitus aliquis, aut ſonus, aut pluuia, aut torrens. Iſta enim omnia nocere infirmo, & criſim futuram impedire ſolent. Et quod extranea præuidere dixit, intelligimus eum velle, vt hi qui veniũt ægrum viſitatum, vnà ſint cum medico. Extranea enim dicuntur & ea quæ ſuperius prædiximus.

APHORIS. III.

IN perturbationibus vẽtris, & vomitibus ſpontinis, ſi tale purgetur, quale purgari oportet, res bene cedit, & facilè fertur, Sin minus, contrà.

Quæſtio nobis oritur cõtra Hippocratẽ. Quare à ventre incipiat potius, quàm ab alio principio? Quod rectè illum feciſſe non latebit. Nam quis neſcit, ventrem ab oculis remotum, conſpicuè varios nobis morbos indicare? Innuit etiam author in præſenti, initiandis arti eſſe obſeruandum, vtrum rubrum, an nigrum, ſiue alterius coloris ſit, quod deijcit. Alia verò ratio eſt, Quòd venter receptaculum ſit potus atque cibi, quibus vnà venientibus in ventriculum, & calefactis à iecore, ſucculenta quædam fit ſubſtantia. Et ſicut lacte coagulato butyrum ſupernatat: ſic excocto ſucco fit putredo phlegmatis, quæ ipſi ſtomacho nutrimentum præſtans, inde ad cerebrum pergit. Mundiſſimum verò quod remanet miniſtratur epati, & cõtrahitur per meſeraicas venas quę ab epatę egrediuntur, vbi conficiuntur quatuor

humores,& vnusquisq; illorum per riuulos quosdam ad suum principalem meat locum. At quoties perturbationem aliquã sustineat natura, per ipsos riuulos, eáq; orificia venarum & meatuum per quæ exierunt, de ventriculo ad epar recurrũt humores,& sic ab epate & orificijs meatuum & venarum, ventri ministrantur, foráſque proijciuntur. Quod verò ait, *Si tale purgetur, quale purgari oportet,* & reliqua, tale est. Ipsa perturbatio variè accidit: aut enim artificiosa est, aut naturalis, aut ex accidenti. Artificiosa est, quum medici catharticũ præbent. Naturalis, quoties leuat se natura, & superflua expellit. Nunquam enim natura aut maius, aut minus vult, sed semper gaudet moderamine. Ex accidente verò fit, quum casu aliquo fit, aut qualitate, aut quantitate. Ex accidenti enim duobus modis fit. Qualitas verò est, vt cibi ventrem emollientes. Quantitas oppressio aut corruptio est. Exemplum autem Aphorismi tale est. *Sicut cloaca maximæ ciuitatis,* quæ multos in se recipit riuulos, quum clausa fuerit, stercus in ciuitate redundat, aperta verò, superflua reiectat. *Similiter tunc facilè fert natura,* quando superflua deponit, vt puta, reperio tertiana laborantem iuuenem, do illi præsidium, quod ipsum propriè deponat humorem: abscisa causa, facile tulit. *Sic & natura quoties spõte facit,* considerare debet medicus quale sit, aut quantũ, aut si vires sufficiant. Tunc enim facilè fert natura, quãdo superflua proijcit, siue per vomitum, siue per ventrem. Perturbatio enim comparata est mari, quod nisi perturbationem habuerit, superflua à

ſe expellere non valet.

APHORIS. IIII.

ITidem cõceptaculorum inanitio ſi fiat qualis fieri debet, res bene cedit, & facilè fertur. Sin minus, contrà.

Secutus eſt inanitiones, quæ fiunt ab epate, Inanitio enim dicta eſt, eò quòd inane faciat corpus vel venas noſtras, vt eſt ſanguinis miſſio, clyſter purgãs, quæ eſt ſubductio ventris. Iſta enim omnia inanire ſolent corpus. Ergo quando oportet vt inaniatur corpus, & plenitudo imminuatur, attendendum eſt, an vtilis ſit ipſa inanitio. Sed vnde animaduertes? Non aliunde, quàm ex ipſo ægrotante, ſi facilè fert, ſi gaudet, ſi non deficit, & ſi non conqueritur. quomodo diximus & de ſpontanea effuſione. Sin minus, hoc eſt, ſi non gaudet, offenditur natura, aut ratione pluris, aut minoris. Aliud verò eſt inanitio, & aliud purgatio. Purgatio eſt qualitatis, Inanitio quantitatis. Sed quia poteſt fieri, vt purgatio inanitio dicatur, inde Hippocrates dicit. Si tale purgetur, quale oportet, & inaniantur, qualia debent.

APHORIS. V.

IGitur & tempus, & regionem, & ætatem, & genera morborum, quibus oportet curationem adhibere, nec ne, cõſpicari officium eſt.

Memor ſermonis de inanitione quæ à medico fit: contemplatus etiam, quantum ipſa medicinæ opus ſit, coactus eſt cautè & ſolicitè admonere

nos, vt antè quàm opus aggrediamur aliquod, ſciamus, ſi bene poſſit fieri, ſi lædi ægrotus, aut iuuari queat, ſi offendi aut melius habere. Non enim oportet incertum experimẽtum in homine fieri. Ideóq; meritò dicit conſpicari tempus oportere. Si enim hyems ſit valida, non debet inaniri ægrotus: quia omnis effuſio extra rationem, duntaxat infrigidare corpora ſolet. Si æſtas eſt maximè ardens, item fugienda eſt inanitio, quia omnium corpora tũc ſoluta ſunt, & debilia. Sed vere & autumno, ſine ſolicitudine inanimus: quia ſunt tempora mediocriter temperata, ſiue calore, ſiue frigore. Et regionem conſpicari oportet, in qua debet operari, in qua non. Si valde eſt frigida, ſicut Scythia, Thracia, vel aliæ earum ſimiles: aut valde calida, ſicut Æthiopia, vel India. Et ætates, ſicut infantum vel valde ſenum. Morbos verò inſpicere cõuenit, vt ſcias in quibus debeas facere inanitiones, vt eſt pleuritis, phrenitis, colica, vel alij in quibus eſt plenitudo. In talibus enim bonæ ſunt inanitiones. Cæterùm in dyſenterijs, cholera, cardiacis, ſudantibus, ſpiritu difflatis, aut inedia confectis, aut alijs cauſis quæ per diuturnitatem adducũt infirmos ad tabem, an non inimica eſt inanitio? Vides, quare dixit, conſpicari oportet, vt antè quàm inanitio fiat, iſta omnia quærantur à medico.

APHORIS. VI.

EXercitatio ſumma bona valetudo eſt: Si ad extremum deuenerit, periculoſa, vti in athletis.

Postquam verba fecit Hippocrates de effusio-
ne siue spontanea, siue quæ ab artifice fit, subiun
xit quibus fieri debeat, & quibus non. Considere
mus, inquiens, ætates, & regiones, & morbos, &
alia quæ sequũtur: inde agit de exercitationibus.
Quæstio nobis est, contra ipsum Hippocratem,
Quare exercitium valetudini præponat, quum
nisi valetudo fuerit, exercitium esse non possit.
Valetudo enim duobus modis dicitur, bona vale-
tudo, quæ virtus: & aduersa valetudo, quæ est æ-
gritudo. Sed Hippocrates sciẽs istud exercitium
valetudinem facere, dum causam dicit, curatio-
nem significat. Vt est in athletis, qui peruncto
corpore ex oleo, & perfricato manibus exercitã-
tur. In ipsis enim naturalis calor, hoc est sanguis,
qui crassescere facit corpora. Et hoc tribus modis
dicitur, crassus & medius & gracilis, de crassis e-
nim ait, id est, de athletis, vel eis qui in iuuentute
sunt, quia in ipsis viget virtus naturalis, & ideo
fortes sunt. Quos necesse est omnem cibum be-
ne concoquere, vnde multum quoq; assumere co-
guntur. Ex quo sanguis quotidie generatur, & ex
multo sanguine corpora eorũ incrassantur. Istam
enim crassitiem dicit Hippocrates solui debere.
Bona valetudo est carnulentia & crassities. Et
quomodo potest solui, nisi per inanitionem san-
guinis? Cõtinuo ergo vena diuidatur adacto scal-
pello, quia si fit ex nimia plenitudine, aut venæ
eis rumpuntur, aut arteriæ, aut ipse spiritus vita-
lis, vel calor naturalis ex constipatione extingui-
tur. Sæpius & in apoplexiã multos vidimus in-
cidisse, & præfocatos momento temporis defe-

ciſſe. Qui ergo incraſſeſcũt ad ſummum, hoc eſt, non vltrà quàm cõuenit, bonum eſt. Qui vero in nimium, hoc eſt, in vltimum, & ſupra modũ, graue eſt eis, propter rationẽ paulò ſuperius dictam.

APHORIS. VII.

NOn enim in eodem ſubſiſtere poſſunt, aut quieſcere. Quòd ſi non quieſcunt, nihil proficere in melius poſſunt: Reſtat igitur vt in deterius labãtur.

Hoc eſt: Quantumcunq; in illis ſupra mediocritatẽ excreuerit craſſities, tãto peius eſt, dũ appetunt cibũ cui aſſueti ſunt, & nõ quieſcunt, ſed concoquunt, eóq; plus comedunt, & quotidie in illis ſanguis generatur & nutritur: qui iam nõ ad melius proficit, hoc eſt, ad fortitudinem corporis vel vtilitatem, ſed ad peius, hoc eſt, ad periculum præfocationis, aut ruptionẽ venarum. Ergo verũ dixit, propter iſtas neceſſitates & pericula.

APHORIS. VIII.

QVamobrem ſoluere bonam valetudinem expedit, vt denuo refici corpus incipiat.

Hoc eſt, illa obeſitas vel craſſitudo corporis, ſanguinis detractione minui debet. Subdidit, vt denuo refici corpus incipiat, hoc eſt, Noli morari effundere ſanguinẽ, & exinanire corpus, propter pericula quæ multoties diximus, vt dum inanitũ fuerit, incipiat iterum refici corpus, nempe ſanguis creari & nutriri, & illius effuſionem ſanguinis reſarcire. hoc quidem Hippocrates de athle-

tis dixit, tu autem ò medice etiam de omni crasso & obeso intelliges

APHORIS. IX.

NEc idcirco cõpressiones in extremum ducendæ sunt, haud enim tutum est.

Quoniam Hippocrates de plenitudine vel obesitate corporis sermonem habuit, quæ est multa vel sine mẽsura, hoc est, in summo vel in vltimo, præcipit eam solui nulla re alia quàm inanitione. dixit etiam neque compressiones ad extremum ducendas, hoc est, inanitiones. Compressio enim dicta est à comprimendo corpus, hoc est, ab extenuando, quia omnis effusio vel inanitio comprimit & inanit corpora nostra. ergo non debet fieri vsque ad extremum, hoc est, præter naturam. Considerabit enim medicus, vt si cui secundum rationem expedit extrahere tres libras, ei subtrahat duas, & octo vncias. quatuor enim vncias relinquit naturæ, vnde possit consistere & sustentari. Etenim medicus secundum rationem faciens, vltra modum non debet subtrahere, ne incipiat nimia inanitio periculum facere, & nõ possit virtus reparari. Quia quomòdo nimia plenitudo præfocat, vel stringit: sic nimia inanitio, vel præfocat vel occîdit. Quia si ipsa virtus, & calor noster naturalis, qui est cum sanguine effunditur, cibus, qui pòst datur, quomodo poterit concoqui, & sanguis inde generari? Et si sanguis & concoctio non administretur, necesse est, vt tabescat corpus & deficiat. Nam sunt quatuor virtutes

operatiuæ in nobis, quæ siue vigilãtibus, siue dormientibus nobis semper operantur, & dum non habuerint quod consumant, ipsum corpus cessando consumunt. Ipsa enim earum cessatio, corporis consumptio est. Vides, quare dixerit inanitiones modum excedentes incommodas esse.

APHORIS. X.

SEd pro eius qui corrigitur natura ducendum, vt toleret.

Considerare debes, inquit, vires illius ægri qui sustinebit, venã incidi, vel inaniri corpus. Ad hoc ducendum dicit, hoc est, tantũ faciendum, quantum vires tolerare possunt.

APHORIS. XI.

OMnino euacuationes in extremũ deductæ graues sunt: Rursúsque recreationes extremæ graues.

Vides Hippocratem, quum nimiam plenitudinem, vel inanitionem reprehendisset, coactus est in isto Aphorismo generaliter docere medicos, ꝙ inanitio vel repletio corporis quæ fuerint vsq; ad extremũ, hoc est, nimiæ vel sine mensura, graues, hoc est, inimicę sunt. Quicquid enim amplius fuerit inanitione congrua, malum est.

APHORIS. XII.

TEnuis exquisitáque victus ratio, tum in affectibus lógis omnibus, tum etiam acutis quibus non competit, grauis molestáque est.

Interrogandus hic nobis est Hippocrates. Si in

longis non conueniunt,nec in acutis, vbi conueniũt? Aut quæ eſt tenuis victus ratio? aut in quot partes ea diuiditur? aut principales ægritudines quomodo diuidũtur? Dicimus quadrifariam, hoc eſt,in acutam,& peracutam,mediam, & longã. Quadrifariam verò & victus ratio. Ergo neceſſe eſt dinumerari vnicuique ægritudini propriã ſuam victus rationem. Peracutæ ægritudini,vt eſt, apoplexia,quæ quarta die terminatur,tenuiſſima præcipienda eſt,vt eſt calida aqua. Et iſtam quãdo debeo dare? Prima & ſecunda die noli exhibere, quia adhuc valida eſt ægritudinis virtus: Tertia verò die dabis duobus modis. Vno, cibi nomine,alio virtutis,vt quarta die inueniatur valida virtus ad expellendos humores. Acutę ægritudini,qualis eſt tertiana,tenuem victum dari iube,vt eſt cremor ptiſanæ. Et inter acutã & peracutam,quæ media, vſq; ad ſeptimum diem determinatur, huic melicratum dari conuenit, primùm pro virtute,deinde,quia ſuperflua purgat. Et vt ſcias qualis ſit virt9 melicrati,ſuperflua purgat,& naturalia cõſeruat. Philoſophus autem refert,ad odorẽ mellis quadraginta dies vixiſſe quẽdã. Lõga verò ægritudo eſt,vt quartana,cui ſolidum victũ dari cõuenit,vt halicã, & piſciũ gara.

APHORIS. XIII.

ITémq; victus qui in extremũ tenuitatis deuenerit,grauis eſt. Nam repletio quoq; in extremum acta,moleſta eſt.

Docet Hippocrates medicũ, quid in victu debet obſeruare, aitq;, non ſemper tenuem & ex-

quiſitũ dandum,ſed aliquando paulò pleniorem: vt ei qui calidam aquam aſſumpſit,poſtea mulſam exhibeat,quæ virtute paulo valentior eſt:ne tenuis victus, vſq; ad vltimam tenuitatem perducat ægrotũ.Docet etiam immoderatas repletiones moleſtas eſſe,ne fortè incautos lateret hoc medicos, ita vt ſemper plenum victum adhiberent,additq; dicens: quia & repletiones, hoc eſt, pleni cibi ad vltimũ ducti,peſſimi ſunt, id eſt,nõ ſolũ carnes diuerſæ,præſumptę immoderatè,ſed & vinũ etiam & panis.Nam extra modum omnia peſſima ſunt.Ideo repletio ſi recedit à mediocritate, perdit corpus.

APHORIS. XIIII.

IN tenui victus ratione ægri peccãt, quò fit vt maiore afficiãtur detrimẽto. Quicquid enim cõmittitur grauius eis obuenit,q̃ in aliquantulum pleniore.

Iterum atq; iterũ Hippocrates multoties nos admonet,quòd in tenui victu delinquunt ægrotantes,propter quod grauius afficiũtur.Hoc eſt, dum aggrediens medicus ægrotum, præcipit,vt ſuccum accipiat,ille aliquando obtemperat, aliquãdo non:& dum acceperit,dicit:Hic me vult occidere.poſtea aduenientes amici ad viſitandũ, dicũt ei:Accipe halicam.& dum acceperit,è duobus alterum contingit,aut bene,aut malè.Si bene,dicet medico.Quare me occidere voluiſti?qui me ſolo ſucco tractabas,& me iam occidiſſes,niſi aliud accepiſſem.& ſtatim iratus repudiat tenuem victum,& conſilium medici,ac vtitur ple

niore. At si malè contigerit, dicit, tu me occidisti, qui me solo succo sustentare voluisti, culpátque amicos, & vltra præceptum medici, nimis tenui vtitur. Ideóque afficiuntur, hoc est, malè offendun tur. Quicquid enim committitur grauius eis obuenit, id est, aut magnum malum, aut magnum bonum, hoc est, non leues sunt casus, qui eis contingunt, vt est, animæ defectus, sudores frigidi, & spirituum digestio, & alia quæ peiora patiuntur, quàm qui aliquãtulo pleniore victu vtuntur, hoc est, in tenui victu maiores contingunt casus, quos suprà diximus, quàm in paulò liberaliore victu & valentiore.

APHORIS. XV.

HInc igitur & sanis tuta non est illa admodum tenuis, diligens, exquisitáque ratio victus: ob eam rem quòd difficilius errorem qui committitur ferũt.

Bene ceu naturæ peritus, seriem orationis sequitur. Non solùm, inquiens, inimica est ægrotis tenuis victus ratio, sed & sanis, verbi gratia, aliquis consueuit vti cibo pleniore, idem ad nauigationem aut carcerẽ missus, nihil comedendo con glutinationem facit intestinorũ. postea verò vbi dimissus fuerit, (vult nimirum ad pristinam con suetudinem redire) largiorem tum potum, tum cibũ assumit, concoctio non obitur, morbi oriun tur. Sic & tenuis victus sanis tutus non est: ægrotis verò, quando non pro morbi ratione assumũt. Sed alio modo sanis, alio modo ægrotis. Sanorũ facit initium ægritudinis: illorum, initium mor-

tis. Quæ admodum tenuis, diligens & exquisita est victus ratio, illa tuta non est, quia infirmus vexatur, quum nimio ieiunio conficitur: vt qui indigeat nutriri, multò magis quàm sani, quia est in laboribus. Meritò ergo, quia victu tenui magis læduntur, & difficilius errorem ferunt, hoc est, quia in se peccāt, molestius & difficilius sustinēt, nam sequitur eos animi defectio, & macies corporis.

APHORIS. XVI.

ITa fit vt tenuis & diligens exquisitúsq; victus, periculosior maxima ex parte sit eo, qui paulo plenior.

His quibus non satis est aqua mulsa, da illis halicam. Idem enim repetijt, quia tenuis victus periculosus est: plenior paulo, minus. Quia verò culpauit tenuem victū, ne fortè in omnibus morbis eum præciperent medici, merito subiunxit:

APHORIS. XVII.

SVmmis morbis summa diligentissimè remedia adhibere, ad perfectum perducit. Addere enim nocuum est.

Summos dicit acutissimos, qui aliquando vsq; ad septem dies perseuerant. Istos ergo morbos summos curare, ad perfectum perducit, hoc est, admodum tenuis victus salutē & perfectionem in ipsis obtinet. Curationem enim Hippocrates victum vocauit, quia per victum morbi curātur, & non solum acuti, sed & tardi soluuntur. Sicut enim princeps logicæ sectæ, & non sicut empiricus, ad medicamina properauit.

APHORIS. XVIII.

ET qui remiſſiones habent, in iјs cibo detrahetur.

Circuitus eſt ſpaciū quod ab vno ad alterum vſque intercedit, vt eſt tertianus, qui tertia hora incipit, & iterum in tertia die eadem hora. Remiſſio eſt, diem ſanū habere. Ergo ipſum eſt quod dicit Hippocrates, vt die acceſſionis non detur cibus, ſed ſubtrahatur. quia, quod datur, in putredinē cōuertitur, adeò, vt ſi quis voluerit in febre calidā aſſumere aquā, plus ei febris protrahatur.

APHORIS. XIX.

VBi morbus peracutus eſt, ſtatim & labores ſummi fatigant, & tenuiſſimo victu vti neceſſe eſt.

Poſtea quàm abſoluit ſermonē Hippocrates de tenui victu, inquiens, peracutos morbos tenui victu & exquiſitiſſimo curari, neceſſe habuit differentias ægritudinum dare: Acutæ dicuntur, quæ finiuntur quartodecimo die, aut ſi multum, vſque ad vigeſimumprimū diem durant, Acutiſſimæ verò ægritudines ſunt, quæ quarto die ſoluuntur, aut etiam occidunt, aut ſi multum, vſque ad ſeptimum diem perdurant. Sed iſti morbi quos Hippocrates cōmemorat, vbi peracuti ſunt, illic ſtatim & ſummi labores fatigant, hoc eſt, periculoſi & graues caſus vrgent, & tenuiſſimo victu vti neceſſe eſt, nempe aqua calida. Sed ſi multum iam occupata eſt natura ad agonem & pugnam, hoc eſt, criſin, & multus feruor eſt in alto, tunc ſi dederis aliquem cibum ægroto, iam non ob ni-

mium feruorem naturæ concoquitur, neque virtus aut corpus augmentatur, ſed potius inimica & contraria fit ægritudo, magiſq; intenditur febris. Meritò ergo præcipit, vt in peracuto morbo fugiamus omnibus modis tenuem victum, propter rationem quæ ſuprà dicta eſt.

APHORIS. XX.

VBi non ita eſt, plenius agere licet. tantũ indulgẽdum eſt cibo, quanto morbus ipſe ſit ſummo leuior.

Summam Hippocrates curã vitæ hominum tuendæ adhibens, quum præcepiſſet tenuiſſimũ victum, ne auditores de omnibus morbis intelligerent, addidit. Vbi autem non ita eſt, puta morbus peracutus, ſed acutus tantummodo, qui poſſit permanere vſque ad quartumdecimũ diem, plenius agere licet, hoc eſt, victũ tenuem dare, quod eſt, cremorem ptiſanæ, aut halicæ, & vitella ouorum. Tantum, ait, indulgendum cibo, hoc eſt, tantum deſcendendo à ſummo victu & exquiſito, quanto morbus leuior eſt, id eſt, quantum acutiſſimus morbus qui finitur quarto die, aut ſeptimo, ab eo qui finitur quartodecimo, aut vigeſimo, & ſi multũ, vigeſimoſeptimo: tantum tenuis victus à pleno diſtabit.

APHORIS. XXI.

QVum verò morbus conſiſtit ſuo vigore, tunc tenuiſſimo victu vti neceſſe eſt.

Hic Aphoriſmus ad victus pertinet rationem.

Vult enim vt cognoſcāt medici, non ſolum morborum habendam eſſe ſolicitudinem, & præcautionem, ſed & temporum diſtinctiones in omnibus affectibus perſpiciendas. Nam omnis ægritudo ſiue tarda ſiue acuta eſt, quatuor tempora ſua habet, Initium, augmentum, ſtatum, & declinationem. Atque id Hippocrates innuit. Vbi non eſt acuta, inquiens, aut peracuta ſed longa, non coërceas ægrum à cibo, in initio, ſed dum venerit ad ſtatũ, tunc ipſum abſtrahe. Quòd ſi illum volueris per initia cibo abſtinere, nō poterit per vires ad ſtatum venire. In ſtatu cibo interdicito, vt vacet natura, ad expellendos humores, & non concoctionem ciborum.

APHORIS. XXII.

AEſtimandum etiam colligendúmque eſt, an æger poſſit eo victu quē præceperis, obdurare ad conſiſtendi vigorem vſque ægrotationis. & illéne potius deficiat, nec durare poſſit ea ipſa victus ratione, an morbꝰ antè deficiat atque hebeteſcat.

Vt cautum faceret pro ratione quam ſuperius diximus, addidit, Æſtimandũ eſt, an æger poſſit obdurare, hoc eſt, an æger præ nimia debilitate non ſufficiat tolerare inediam, egeſtio ipſa denũciat. Si fortis fuerit, & obdurare poterit, neceſſe eſt, morbum prius deficere & hebeteſcere, hoc eſt declinare, & decreſcere, & vinci, & naturaliter victoriam obtinere. Quia verò recolligunt ſe vires,

attendere debet medicus, vt ſciat an fortes ſunt, & ſi poſſint, vſque ad ſtatum, morbum ſuſtinere. Nam tunc tenuem atque exiguum victum adhibere oportet. Si autē debiles ſunt, neceſſe eſt nos ipſos ægrotantes reficere, & id eſt, ob quod debemus ſcire, quando ſunt debiles, vel quādo fortes. Siquidem & in prognoſticis perfectiſſimè ipſas agnitiones expoſuit, vt attendas excrementa, hoc eſt vrinas, & deiectiones. Quòd ſi ſunt cōcoctæ, cognoſces virtutes naturales validas eſſe. Similiter & pulſus ſi ſunt fortiores, & reſpirationes thoracis rationabiles, ſcies virtutes cordis fortes eſſe. Pari modo, ſi memoriam vel cogitationem integram habet æger, vel facillimè in lecto mouetur, vel ſurgit ſine animi defectu, cognoſces virtutes animæ valentes exiſtere. Et per hæc omnia deprehendes, poterítne tolerare morbum, an nō. At quia, ſi volumus virtutes nutrire, ſimul nutrimus & humores, melius eſt continere virtutes, & nutrire affectum vſque ad ſtatum, ne ante ſtatum deijciatur virtus, verbi gratia, Aliquis domū ſuam nutantem ſtatuit deijcere, ſed artifices qui hic conſuluntur, ſubijciunt ei fulcimina, atque ſic tuti domum tollunt. Nam ſciunt continere. Sic itaque & medicus debilem naturam nutrit cibo, & ſic molitur præſidia.

quomo cognoscat fortitudo virtutum naturalium vitalium et animalium

APHORIS. XXIII.

QVibus igitur ſtatus morbi continuò accedit, ijs tenuis victus continuò præcipiendus eſt.

Quibus acutus eſt morbus, continuò habent

ſtatum. Tenuis autem victus præcipiendus eſt.

APHORIS. XXIIII.

QVibus autē ſtatus poſtea futurus eſt, his cibo ſubtrahēdum eſt. Tēpore autē ſuperiore vberius agēdum eſt, vt æger ſufficiat.

Quibus longus eſt morbus, longum habēt ſtatum: Iſtos autem abſtinere cibo non præcipias, ſed refice propter virtutes, ne deficiant. Ante ſtatum autem abſtinere conuenit, ne ſubminiſtrent naturæ ad concoctionem ciborum, ſed vacēt ad expellendos humores. Superiore autem tempore ſolutóque morbo, propter virtutem refice vberius, vt poſſit ſufferre is qui poſt tantum laborem ad ſuam priſtinam properat ſanitatem.

APHORIS. XXV.

IN acceſſionibus abſtinēdum eſt. Aſſumere enim cibum nocuum eſt. Et quibus per circuitū veniūt acceſſiones, his in ipſa acceſſione abſtinendum eſt.

In hoc Aphoriſmo multi multa dixerunt, aliqui vt nihil faciat, alij verò alia, Galenus excerpens diuerſorum dicta, ſuam tandem ſententiam protulit in hūc modum: Conuenit ſubtrahere cibum & curam adhibere. Nam tunc indiget aliquis auxilio, quando ab hoſte ſe vinci viderit: Sic & natura indiget auxilio medicinæ, quādo ſe ſuperari viderit ab humoribus. Amica eſt enim medicina naturæ, cuius illa indiget auxilio, quando inimicum ingruentem viderit. Cibi enim ſi acce-

pti fuerint,non corpus reficiunt,ſed morbũ protendunt.Meritò dixit,aſſumere enim cibum nocuum eſt.Quippe tunc inimicum eſt & malum, quãdo infeſtatur natura maximè ab humoribus. Et quibus per circuitum veniunt acceſſiones, vt eſt in tertiana, quotidiana,& quartana, vel omnibus quæ periodis intenduntur, his in ipſo acceſſionis die, abſtinendum,id eſt,hi nullo modo reficiendi ſunt.Meritò in hoc aphoriſmo,tum in ſecundo eadẽ repetijt,quia maius peccatũ ægrotis naſcitur ſi ſe refecerint,non ſolũ in acceſſionibus ipſis,ſed & paulò antè etiam,quũ hora ipſius venturæ conſtet. Solicitus ergo ſis,vt ieiunus vel vacuus ægrotus, ad acceſſionis horam veniat.

APHORIS. XXVI.

ACceſſiones conditionéſque à morbis indicãtur,& anni temporibus atq; etiam circuituum ſucceſſiuis incrementis,ſiue quotidie,ſiue vno interpoſito die,ſiue etiam per interualla ampliora eueniant. Nec non per ea quæ ſuperueniunt,iudiciũ accipi poteſt,verbi gratia,in morbo coſtali,ſi ſcreatio purulenta ſtatim inter initia extitit, breuem fore ægritudinẽ oſtẽdit: ſin poſtea puruit, longam. Quinetiam vrina,aluus,ſudor morbos aut difficilè,aut facilè, aut nullo pacto, iudicari finiríve poſſe:aut longos, aut breues fore, ſignificabunt.

Tanquam rogatus Hippocrates, quomodo cognoſcamus longos vel acutos morbos, reſpondit, dicens: Indicantur acceſſiones & conditiones, hoc eſt, declarantur & oſtenduntur. Conditiones verò nominauit ſpecies vel agnitiones morborum. qui quales ſint, vel quomodo agnoſcantur, oſtendunt. Siue enim quotidie, ſiue die interpoſito, acceſſio eſt, tertiana eſt, & velociter ad ſtatum feſtinat. Quòd ſi eiſdem horis, die quidem interpoſito, acceſſio inuadat, vera tertiana eſt. Si autem quotidie veniat, quotidiana eſt, & prolixitatem habet. Si verò interpoſito biduo venerit, quartana eſt, & valde longa, tardáq;, & ſtatum diu habebit, vel poſt longum tempus. Nec minus valet id quod dixit, Anni tẽporibus atq; etiam circuituum ſucceſſiuis incrementis, ſiue quotidie, ſiue vno interpoſito die, ſiue etiam per interualla ampliora eueniant. Nimirum quartana & quintana, hoc eſt, qui per circuitum acceſſiones experiuntur. Quos commemorauit Hippocrates ſe multoties vidiſſe in libris quos alij epidemia, alij demia vocauerunt. Sed & tempora anni oſtendunt morbum longum aut breuem fore, hoc eſt, quia æſtas velociter facit trãſire morbos, & ver. Nam calor addit illis acumina: hyems verò vel autumnus, tardos vel lentos facit, propter frigora. Sed & ea quæ ſuperueniunt, vult Hippocrates cautè nos obſeruare: quia portendũt de his quæ ſequuntur, vt in pleuriticis. Et ſciendum, ſigna pleuriticorum quatuor eſſe, quibus ſi vnum deſit, pleuriticus dici non poteſt. Sunt autem illa, tuſſis, reſpiratio difficilis, febris, & dolor acutus. Et quare do

lor acutus? Quia mẽbrana costas succingens, turgida intentáque, cum latere quod græcè dicitur pleura confricatur, vnde nomen acceperunt pleuritici. Sputum si continuò per initia apparuerit, breuis est: si verò non apparuerit, prorogatur. Sputum quoq; in quatuor partes diuiditur, aut enim aquosum erit, aut sanguinolentum, aut rubrum, aut nigrum. Rubrum si est collectũ in initio, bonum est. Sanguinolentum si est collectum in initio, non est malum: vnde frequenter venam incident. Aquosum si est tardum & nigrum, malum est. Ob quam causam? Quia significat nobis virtutem debilem, quæ illud non potuit maturare, & expellere. Nam quicquid nigrum in interioribus partib⁹ decurrit, si ad pulmones migrat, mortẽ infert. Quod verò dicit, vrina vel aluus, sciendum quòd solidæ atque principales virtutes trifariam diuiduntur. In naturalem, spiritalem, & animalem. Naturalis est, quæ omnes ægritudines significat per vrinas aut aluũ. Spiritalis verò, quę in pulmonibus vel respiratione est. Animalis autem in capite. Quæ virtutes ostendunt initium mortis, aut vitæ. Semper vna duas vincit, aut duæ vnam. Sed non semper duæ vnam: vt naturalis virtus si valida fuerit, & aluum reddiderit cohærentem, vrinas verò concoctas. Sinautem debiles fuerint spiritalis & animalis, vt non rectè æger loquatur aut intelligat, spes tamen vitæ superest. quia aliquando naturalis virtus propriam habet affectionem, aliquando peregrinam: quod est pestiferum. Ergo quando suprascriptæ duæ minantur mortem, & naturalis valida fuerit, erit spes

vitæ. Si verò naturalis debilis fuerit, tũc vincunt duæ vnã, & moritur æger. At si spiritalis, naturalis, & animalis, fuerint robustæ, semper bonũ est.

APHORIS. XXVII.

SEnes facillimè ieiuniũ telerant, mox qui firma ætate sunt, minùs pueri, minimè omnium infantes.

Interrogandus hic venit Hippocrates, Quare quum de ætatibus agat, prius protulerit senes q̃ infantes, aut iuuenes, quum nisi infans fuerit, senex esse non possit. Sed bene Hippocrates prius seniorẽ dixit. Nam omnis finis initium habet: nõ omne initium, finem. Probè ergo Hippocrates prius nominauit seniorem, vt continuo omnes significaret ætates. Cur autem scribit seniores facillimè ieiuniũ ferre? Quia frigidum habent corpus, & non exercitantur. Etenim quanto frigidiorem crassioremq; humorem habent, tanto minor est illis appetitus, vt qui ex ipso humore nutriantur. vnde si amplius illis offeras, quàm possint cõcoquere, ex ipso extinguuntur. Quemadmodum lucerna quæ solet oleo suppetẽte lumen clarum facere, si plus olei immittas, quàm cõuenit, continuò claritas luminis extinguitur. Mox qui firma ætate sunt. Eos intelligit qui sunt iuxta seniores. Pueri quare minus? Nimirũ quòd, vt iuuenes calidi sunt natura: & quum exercitio incalescunt, tunc calor calori additur. quicquid ergo acceperint, facilius consumunt. Sed infantes cur omniũ minimè? Quia & humidi sunt, & exercẽtur suo modo. deinde, quia ad cæteras ætates festinãt, &

nisi adiectis cibis,crescere non possunt. Vnde infantes dicuntur esse quales porcelli, qui mox vt acceperint cibũ,continuò illum concoquunt. Sed cúrnam infantes cibum assumunt? Quia sine hoc nullo modo possunt esse.

APHORIS. XXVIII.

EOrúmque ipsorum qui animo sunt propensiores.

Quod dicit eorũ ipsorum qui animo sunt propensiores, tale est, Maximè illi eorum vexantur, qui animo sunt ad epulas propensiores, vel qui multum esuriunt vel petunt. In istis verò multus feruor cognoscitur,qui eos exacuit,& corpora desiccat,facitque famem,& multi cibi appetitum. Meritò igitur plus ipsi, q̃ alij vexantur ieiunio.

APHORIS. XXIX.

QVi increscunt, plurimum caloris innati obtinent:itáque plurimo cibo indigent. Alioqui corpus absumitur.

Sciens Hippocrates obscurius se in præcedente aphorismo loquutũ, voluit hoc ipsum clariùs exponere,& dixit. Quòd omnes qui increscunt, nempe infantes,plurimũ caloris innati obtinent, id est, feruoris naturalis . plurimo ergo cibo indigent. Alioqui corpus consumitur. Sed necessarium est explicare,quomodo concipiatur infans, in vtero,ex semine viri & mulieris commixto in vulua,vt intelligamus,quo pacto infantes qui humidi sunt,feruorem habeãt naturalem. Sed prius exponenda est compositio vuluę. Ora ipsius græ-

cè dicũtur pterogomata, medium verò nimphæa. habet etenim ceruicem, pectus, & fundum. At qua ratione in tali structura, potest vsque ad fundum pertingere semen? dum aliqui virorum penem gracilem habeant, aliqui breuem? Sciendum sic matricem illud exugere, quemadmodum ceruus ad orificium cuniculi, appositis naribus, inde extrahit serpentem. Ergo Hippocrates compertũ habens in talibus concauitatibus contineri infantem, necessariò dixit, infantẽ dum æditus fuerit, vsque dum immutet ætatem, plurimum habere caloris innati, vnde & plurimo cibo indiget, qui adhuc ex vtero matris contineat calorẽ. Notandúmque quatuor esse virtutes, quæ siue dormientibus siue vigilantibus nobis semper suo funguntur officio. Nomina verò earum sunt hæc: vna attractrix dicitur, quam græci ἑλκτικὴν vocant: & altera retentiua, quę continet cibum, græci καθεκτικὴν: tertia alteratrix, quæ dicitur ἀλλοιοτικὴ quæ resoluit illum: quarta expultrix, cui nomen græcũ ἀποκριτικὴ quæ expellit illum. Hę quatuor facultates, vbi nõ habuerint quod conficiãt, ipsum corpus consumunt.

APHORIS. XXX.

SEnibus verò parum caloris inest, & ob eam rem paucis egẽt fomitibus. quippè qui à multis oppressi, extinguantur. Hinc etiam febres non æquè acutę senibus accidunt: corpus enim eorum frigidum est.

Bene Hippocrates candidi viri & humani of-

ficio functus, voluit singula exponere. Nam sicut in superiore aphorismo, sermonem de infantibus habuit, qui crescunt. sic & nunc ordine de senibus instituit: parum caloris eis inesse dicẽs, & ob eam rem paucis egent fomitibus, hoc est, modico cibo satiantur. Et deinceps tanquam interrogatus, hanc reddit rationem. Quippe qui à multis oppressi extinguantur, sicut antea diximus de igne. Meritò ergo & febribus acutis non comprehenduntur, quia frigidum eis est corpus. Sed cur frigidum? Nulla alia de causa, nisi propter calorem naturalem, quem habent exiguum ac modicum.

APHORIS. XXXI.

VEntres hyeme & vere natura calidissimi sunt, & somni longissimi. Itaque per ea tẽpora cibi dari copiosius debẽt. Caloris enim natiui copia magna inest, vt cibus proinde plenior requiratur. Argumento ætates sunt & athletæ.

Rogandus nobis est Hippocrates, quum dixerit concoctionem non nisi calore fieri, quomodo nunc ponit, hyeme & vere multum nos appetere, multúmque concoquere, quum tempus per se frigidum euaserit. Et, quid somnus ad ventrem faciat. Bene autem Hippocrates hoc subiunxit, qui sciret non solum ætates, sed & tempora conuenire, docétq; nos victus rationem. Etenim hyeme & vere plus appetitur & concoquitur, quàm æstate vel autumno, quia calor naturalis in ventriculi concauitate, in qua maximè continetur, sicut dictum est, hyeme & vere plurimum abun-

dat: eò quòd hyems frigida ſit,& ver eſt ei vici-
num:hanc ob rem neceſſe eſt,vt cauernæ illæ in-
uiſibiles, quas poros appellant, concludantur &
omnino conſtipentur. Atque hinc feruor noſter
naturalis non inuenit per quod exhalari & egre-
di poſſit. Continet ergo omne quod eſt intrinſe-
cus,& celeriter obit ciborum concoctionem:ceu
princeps & dominus,qui cuncta diſponat.Meri-
tò ergo plurimum cibi appetimus eo tempore,
quòd,vt dictum eſt,feruor maximus vel ſpiritus
vitalis intrinſecus abũdet.Tum quia noctes pro-
lixiores tunc ſunt,ſomnúſque multus accidit.Eſt
quidẽ ſomnus requies totius corporis,in quo con
quieſcunt conſuetæ operationes.At quia in ſom-
no natura cum virtutibus obit concoctiones,vn
de nutrimentum neceſſario accedit corpori,ratio
eſt pro his omnibus concoctionem ciborum ma-
gnam fieri.Et ſi quid ſuperfluum vel alienum in
corpore noſtro permanſerit, in ſomno coquitur,
vel deſiccatur.Nam,ſicut dictum eſt,natura cum
virtutibus in ſomno & quiete operatur ea quę ad
ipſam pertinent:ſicut in vigilijs,anima cum ſuis
virtutibus. Et vt hæc vera teſter,exemplum vo-
bis proferam. Sicut pueri & infantes, ob pluri-
mum caloris innati feruorem,multum appetunt
cibum,& concoquunt:Sic & ſeniores pro parui-
tate caloris facillimè & libenter ieiunia ferunt.
Sed & athletis exercitis creſcit feruor, & quic-
quid comedunt , in ipſo labore concidit conſu-
mitúrque. Vnde ipſi plurimum cibi appetunt.
Pro hac re coactus eſt Hippocrates addere, &
ætatum,& athletarum teſtimonia:vt ſua in om-

nibus vera teſtaretur & confirmaret.

APHORIS. XXXII.

VIctus omnibus febricitantibus humidus proficit: ſed præcipuè pueris, & his qui ita viuere conſueuerunt.

Quæſtio nobis oboritur in initio Aphoriſmi, quare prius humida ad febrem præceperit? Nam quia febris calida eſt & ſicca, frigida potius dicere debebat, quòd à contrario remedium eſt. Sed præuidens Hippocrates, quòd plus offendit extenuátque ſiccitas, quàm calor, victum præcepit humidũ, hoc eſt, oua ſorbilia, lactucas, ptiſanam, & cætera ſimilia. Puerorũ verò ætatem ideo cõmemorat, quia plus ſiccitate moleſtãtur. Conſuetudinem quoque requiſiuit, vt ſi quis dum ſanus eſſet, tali, verbi gratia, vſus eſt victu, hic maximè ipſi in febribus conuenit.

APHORIS. XXXIII.

ET quibúſnã ſemel aut bis aſſumendũ ſit, & pluráne an pauciora, particulatim animaduertendum. Tempori etiam ætati, & regioni, & conſuetudini aliquid impartiendum eſt.

Subdit Hippocrates indagandã à medico conſuetudinem comeſtionis ſanorum atque languẽtium: vt poſſit cõgruum offerre cibum. verbi gratia, aliquis ſolitus eſt comedere mane & veſperi, alius verò quater die, alius ſexies, alius decies, vt agricolæ. Idque intelligendum quadrifariam, aut enim edit multum & rarius, aut multum & ſæ-

pius,modicum & rarius,modicum & sæpius,ser uatis consuetis horis, imminuta tamen quantitate ciborum. Finge laborantem causone aut sinocho,qui non habet declinationẽ,huic si volumus addere cibum,ægritudinem augemus: si non damus, virtutem minuimus. Quid ergo faciẽdum est? Interrogemus quibus horis solitus sit refici,& eadem hora eum reficiamus tenui cibo. Nam natura cum operationibus suis requirit consuetudinem,& conseruatur ab ea. Etenim quinq; res, ad cibum offerendum requiruntur, consuetudo, virtus,concoctio, copia ciborum, & modus assumptionis,Exempli gratia. Poma qui habet ad prãdium, post omnes alios comedat cibos. Qui autem fit vt in cœna prius assumãtur? Nimirum vt acredinem superius contractam temperent. Sic denique inquires,quo tempore sit ægritudo; æstate an hyeme: regionẽ,calidáne sit an frigida, Ætatem, iuuenis an senex: Consuetudinem, vt diximus,quibus horis solitus sit refici. Nam consuetudo altera est natura. Et cõsuetudo naturam, & natura conseruat consuetudinem.

APHORIS. XXXIIII.

CIbos æstate & autumno difficillimè ferunt,hyeme facillimè,mox vere.

Controuersia nobis hic cum Hippocrate oritur,Calor dixit concoctionem obit,nunc autem æstate non concoquere nos scribit, hyeme verò facillimè,quum æstas calida sit, humórque calidus in ea præpollet,humor autem frigidus tempore frigido. Sic ipse sibi nõ constare videtur. Sed

nos exemplo illius dictũ confirmabimus, ne tantum talémque virum naturæ & veritatis amicũ mẽdacij insimulemus. Pone ęstatem, ceu aquam frigidam: hyemem verò, calidam. Sic itaque sunt & corpora nostra. æstate omnis calor foras emanat, duobus modis. Vno, quia aperti sunt pori. Altero, quia confugit calor ad similem sibi aërem. sicut in Amphitheatro cũ dimittunt similem ad similem, semper alius ad alium confugit. quia similia similibus gaudent. Hyeme enim constipatio fit meatuum, & calor interiore parte concluditur, & illic concoctionem maximam operatur. Autumnus simile aliquid habet cum æstate, ver cum hyeme. Ideo hæc comparauit illis, quia sibi inuicem vicina sunt.

APHORIS. XXXV.

QVi per circuitus accessionum exacuuntur, his nihil est dandũ, nec assumere quicquam cogendũ, sed adiectioni subtrahẽdum est ante iudicationem.

Circuitus spacium est, quod ab hoc ad aliud intercedit, vt est tertianus qui die interposito cõmouetur. Id sibi vult quod dicit Hippocrates, vt die commotionis, hoc est accessionis cibum non des, quia natura contendit. duobus enim seruire non potest, humori & cibo. vincitur enim potius, quàm ipsa vincat. Subtrahere oportet, seu per nares, seu per sudorem, seu per vrinã, seu per secessum, seu mẽstrua. Adiectionem autem vocat quãtitatem ciborum, antè quàm iudicatio fiat.

APHORIS. XXXVI.

QVæ iudicantur aut iudicata ſunt, pari dierum numero, non mouere, neque nouare vel medicamentis, vel alijs incitamentis, ſed ſinere debes.

In hoc aphoriſmo multi multa ſenſerunt. Alij quidem, quòd in die decretorio cibum dari non iubeat Hippocrates: Alij verò diem parẽ dicunt, duo & quatuor. Nec id eſt quod author intelligit. Galenus enim exponit, cuius ſententiam veram eſſe credo. Parẽ rem dicit eſſe, quando ſoluta fuerit, per ſolam naturam ægritudo. Vnde & vulgaris ſermo eſt. Parem habe tecũ, hoc eſt, cõgruum & conuenientem dilige. Ergo id eſt quod admonet: dum iudicata fuerit ægritudo, natura debilis inuenitur. Poſt talem ac tãtum laborẽ nihil iubet fieri, ne fortè ipſa ægritudo iteretur: neque medicamentum aliquod excogitare, hoc eſt, noui aliquid, videlicet aut venæ inciſione, aut clyſtere, aut vomitu, aut potione calefactoria ad ſudorem, aut diuerſis purgare cauendũ eſt, poſt criſin. Sed ſufficiat naturæ quod per ſe effecerit. Nam plus eſt quod facit natura, quàm quod ars. Sinere enim præcipit, hoc eſt, quieſcere naturam permittere.

APHORIS. XXXVII.

QVæ euacuãda ſunt, eò duci debẽt, quò maximè natura commodè tẽdit. Deiectiones nõ copia æſtimandæ ſunt, ſed eo

quòd talia deijciũtur, qualia deijci oportet, & facilè æger fert. Atque vbi ad animæ defectionem vsque ducẽdum est, ita agendum, modò æger durare possit.

Intellectus aphorismi est: quæ vacuanda sunt, euacuẽtur quò natura commodè tendit, dictum est, vt vnusquisq; humor per suum congruum locum descendat, vt si ad ventrem tendat, per ventrem: si ad stomachum, per vomitum educatur. Sic & alia. Copiam verò non æstimare oportet, verbi gratia, ingreditur gnarus medicus, exhibet auxilium quod per ventrem purget, purgat tres sextarios. Nihil proficit naturæ, quia non deposuit contrarium humorem. Accedit enim peritus medicus, & non cõsiderat copiam quam purgauit, & iterat purgationem, & dat humori delinquenti propriam, vnde hemina deijcitur, continuò facilè fert natura, quia leuata est inimico. Ergo id est, quod dicit: Qualia deijci oportet talia deijciantur, & facilè æger fert. Videamus in quibus & in qualibus morbis iubet vsq; ad defectũ inanire corpus. Nimirum in tribus, in mediorum tumore, causone febre, & dolore pedum. Et cur in tumore mediorum? Quia ex putredine fit, ergo ad defectionem ducendum præcipit: quod signum est, abundantiam esse subtractam. In causone verò tam diu iubet venæ sectione detrahi, vsq; dum animus deficiat. Galenus refert quendam hominem venam incidisse laboranti causone, qui dolore excruciabatur. Cui dixit Galenus, homo occidisti febrem. In dolore pedum duobus

modis prodeſt. Vno, quia ſubtrahitur materies: Altero, quia dum excruciantur, doloris obliuiſcũtur. Et hoc quoq; iubet fieri, ſi virtus valida fuerit: Si verò imbecilla, nullo modo.

APHORIS. XXXVIII.

IN affectibus acutis raró, & inter initia vtendum medicamento euacuatorio eſt: ídque adhibito diligenter examine faciendum eſt.

Hic Aphoriſmus ſuperiori iungitur, & id ſibi vult, vt niſi in peracutis, id eſt, nimium acutis affectibus, per initia præſidium non adijcias. Nam in his ſi differre volueris, ad ſtatũ non perueniũt. Perſpectum enim hoc eſt, vt niſi quod natura exigit, nunquam purges: & nunquam in initio acutarum, ſed peracutarum.

APHORIS. XXXIX.

SI quale purgari oportet, tale purgatur, prodeſt, & facilè fertur: ſi contrà, difficulter.

Intellectus huius aphoriſmi talis eſt, vt ſi qualia oportet purgari, purgẽtur, commodum eſt. Si verò ſuperflua purgata non fuerint, contrà.

LIBER SECVNDVS.

APHORISMVS I.

IN quocũque morbo ſomnus laborem affert, letalis eſt. At ſi iuuat, letalis nõ eſt. Vbi ſomnus delirium tollit, bene eſt: vbi delirium affert, malè eſt.

Interrogare Hippocratem poſſes: Quum ſomnum laudauerit, quòd totius corporis eſſet requies, cur nunc dicat ſomnum laborem adferre. Hoc reſponſum accipito. Non quòd laborem ſomnus præſtet: ſed talis eſt dicendi modus hoc in loco, vt illud quod ſolet temperare ſæpiſſimè laborẽ, & quo irrepente non meminit laboris ægrotus, quum diſcederet penitus à conſuetudine, diceret adferre laborem. Morbum verò ægritudinem dicit. Si quis ergo in ægritudine conſtitutus, aut dolore imminente, aut in phrenitide dormierit, ac deinde ſomnus non imminuerit affectum, mortale eſt. Simili modo, ſi non dormierit. At ſi ſomnus acceſſerit, & imminuerit affectum, non eſt letale. Sic denique ſi decreuerit alienatio, & ſomnus accedens eam imminuerit alienationem, bonum eſt. Si verò fuerit ſomnus, & ſuperuenerit alienatio, mortale eſt.

APHORIS. II.

SOmnus aut vigilia, ſi alterum modum exceſſerit, letale eſt.

Rogare hic oportet Hippocratem: Si ſomnus

malus eſt,& vigiliæ malæ ſunt,quid exiſtens bonum ſit. Sed videamus, in quibus ætatibus ſomnus aptus eſt,& cõtrariæ vigiliæ:& in quibus vigiliæ commodæ & ſomnus contrarius.Item diſquiramus certam rationem,an ſomnus ſecũdum naturam bene cedat: vltra naturam, malè tutetur. Inſpiciamus quæ vigiliæ naturales ſint, quæ præter naturam. Sciendum eſt,ſomnum iuuenibus bonum eſſe,contrarias autem vigilias. Vnde frequenter iuuenes phreniticos incurrũt affectus, nimio calore & ſiccitate.Senioribus autem & infantibus contrarius eſt ſomnus. Vnde ſeniores ſæpius in puerilẽ memoriã,(vt dici vulgò ſolet)aut in obliuioſum lethargũ, aut caron,aut coma,aut turpiter depilatũ occipitiũ incurrũt.Omnia hæc mulieribus grauius & turpius contingunt . quia naturaliter plus ſunt humidæ quàm viri. Quum enim nimis dormiunt,quod illis contrarium eſt, vetuli ac vetulæ, neque exercentur neque firmãtur neruis,reſidente nimio humore,aut lacerãtur ſæpe mente , aut deturpantur carnis ſuperficie. Infantes autẽ qui humidam ſimiliter habent naturã,incurrunt in hæc mala.quia in interiore parte cerebri,detinetur ipſe humor,& aliquando nõ niſi poſt multos annos loquuntur. aliquãdo verò detinentur imaginationibus, vnde aliqui vociferantes dęmoniaci efficiuntur. Naturales autẽ vigiliæ ſunt conſuetæ: vt in illo qui conſueuit vigilare & omne opus adimplere.præter naturam verò vigiliæ ſunt,vt in phrenitico affectu. Somnus verò vltra naturam eſt,aut in obliuioſo lethargo, caro, comate, & in cæteris ſimilibus affectibus,

Secũdum naturam est somnus, vt si quis consuetis horis obdormit, post cibum: deinde verò surgens adimplet officia naturæ, concoctiones omnes & egestiones obit per ventrem, sputum, vrinam & cætera similia. Hippocratis enim sermo fuit de eo quod naturam excederet.

APHORIS. III.

NOn satietas, non fames, non aliud quicquam, bonum est, quod naturam excedit.

Scito naturam neque maius neq; minus velle: sed semper gaudere modo, & hoc dicit, Si satietas naturam excedit, malum est: Si fames, simili modo. Non solum Hippocrates de satietate dicit, aut fame: sed omne quod secundum naturã non est, malum est.

APHORIS. IIII.

LAssitudines sponte eueniẽtes, morbos pronuntiant.

In hoc aphorismo variant sententiæ. Aliqui dixerunt, spontaneum esse, quod ex natura est. Alij alia senserunt. Galenus exponens locum istum, sic scribit. Spontaneũ est, quum absq; motu præcedente talis dispositio oritur: Exempli gratia, Quum ægrotus medico accedente, dicit, Sic doleo, quasi centũ miliaria emensus essem, aut tanquam me fustibus aliquis cecidisset: Interrogat illum medicus, Nunquid per æstũ ambulasti? Nũquid iter longũ peregisti? Ægrotus dicit, nõ: Medicus pronũtiat, Manifestum est hæc signa præcedere acutas febres. Nunquam enim dispositio

aliqua fit,nisi causa præcesserit. Præcessit dolor, quem Hippocrates lassitudinem seu laborem appellat:qui fit ex humoribus abundãtibus:& subsequitur affectio.

APHORIS. V.

QVicunq; parte corporis aliqua laborantes, laborem ipsum magna ex parte non sentiũt,his mens ægrotat.

Rogare Hippocratem possis,qui testetur cerebrum non pati, quomodo nunc dicat, his mens ægrotat:quum in cerebro sit mens,in mente memoria, & per memoriam sentiamus. Sciendum tibi est,Hippocratis dicendi modum,quinq; modis capi. Hic figuratus est, vt à parte diceret totum,quum mentem nominaret. Notandúmque id,quod interpres de quodam philosopho refert, cuius nomen honoris gratia subticuit: hunc,ait, phantasia correptum,& sensum perdidisse,adeò, vt diceret discipulis suis: Mittite foras citharœdos, quid resident in angulo domus meæ? At illi præuidentes phantasia ipsum laborare,manibus foras se proijcere eos simulabant. Simili modo & Galenus in prognosticis suis testatur, quendam ex nimio studio memoriam & rationẽ perdidisse,adeò, vt adueniens Romam ad pontem lapideum,in alicuius domum qui hoc detinebatur affectu, diuerteret. Lanarius illic pectebat lanam, qui foris erant,dicebant ei, eijce nobis aliquid,at ille cœpit res suas per fenestrã proijcere. postremò dixit illis:Si vultis proijciam vobis istum la-

narium. Respondert: Si habes, proijce. Et comprehēsum eiecit illum fenestra, atq; sic mortuus est. Comites eius, qui antea ridebant, in luctum postea conuersi sunt. His ostenditur particulam cerebri pati. Sed reuertamur ad rem institutam. Dolor tribus modis non sentitur, aut paruitatę, aut obliuione, vt in Heremitis qui obliuiscuntur doloris, & non illum continent. Vnde & aliquando dicunt, quum non dolent, oblitus est nostrum deus noster: aut nimietate, quando in non sentientis corpore mens ægrotat, quum antea senserit dolorem.

APHORIS. VI.

QVæ longo temporis spatio extenuātur, lentè reficienda sunt: quæ breui, breuiter.

In tria principalia corpus nostrū diuiditur, in spiritum, humida, & solidas partes. Humida, sunt humores, per quos nutrimur: Spiritus, per quem viuimus: Solida, per quæ conseruatur corpus atq; sustentatur, id est arteriæ, nerui, venæ, ossa, & alia id genus. Videamus quæ sit repentina extenuatio, quæ cito reparari potest? Subductione ventris multa crebráq; extenuantur, tanquam si triginta dies egrotassent. Hi quoque cito reparantur, quia humida virtus deposita est, solida constant, & spiritus simili modo. Ingredientes balneū & nimiū immorantes in aëre, cum inutilibus simul & vtilia emanant, hoc est, cū sudore, & spiritus. Itidem descendentes in frigidans solium, citius recreantur. Frigiditas enim aquæ condensat superficiem

pororum,& coadunat ſpiritum,& ſubita erit refectio. Longa item ægritudine laborantibus,omnia extenuantur. Itaque tanto tempore reficitur ſpiritus,quanto humores extenuati ſunt:quanto arteriæ,aut venæ,aut nerui,aut oſſa, quæ deſiccata atq; extenuata ſunt. dum ergo iſta omnia reficiãtur,longo tempore opus erit: & recreari à morbo non ſtatim poteſt,ſed tardius.

APHORIS. VII.

SI quis à morbo cibum aſſumens nõ corroboratur, plus cibi quàm ſatis ſit aſſumi ſignificatur. At verò ſi non aſſumẽti ita euenit, euacuatione opus eſſe ſciendum eſt.

Hippocrates cauſam exponẽs,curationẽ oſtendit. Sẽſus verò iſtius aphoriſmi ſignificat illos,qui poſt ægritudinẽ conſaneſcunt. Bene igitur à morbo dixit. Tribus nanq; pũctis homines aut ægroti,aut ſani fiunt. Prius enim ſanitas eſt, inde neutrum,pòſt ægritudo. Nunquam enim quis ægrotus eſt,niſi prius à ſanitate per neutralem partem in morbum decidat: Nunquam ad ſanitatem reuertitur,niſi prius ab ægritudine,per neutrum ad ſanitatẽ redeat. Id ſibi Hippocrates vult. *Si quis* à morbo cibum aſſumens nõ corroboratur, plus cibi quàm ſatis eſt,aſſumi ſignificatur. Virtus imbecilla ad concoctionem obeundam , excretioni magis indulget: & quum excretio maior fuerit, cõcoctio minima accedit. quúmque minima fuerit,nutrimentum naturæ non eſt. At ſi pauciora aſſumenti id euenit,euacuatione opus eſſe ſcien-

dum est. Euacuatio autem nullius rei alterius est, quàm repletionis.

APHORIS. VIII.

CORpora quæcunque purgare libuerit, fluida ea facies.

Huius aphorismi, varia est scriptorum interpretatio. Aliqui dixerũt fluida facere, esse abstinere, vel ciere vomitũ radicibus vel subducere vẽtrem: Alij alia. Galenus verò istum exponẽs locum, ita scribit: Idcirco Hippocratẽ dicimus suo adiecisse sermoni, vbi quis purgare voluerit corpora, fluida ea faciet. ac si dixisset: siue per vomitus, siue per alui subductionem, purgare velis, fluidum faciẽs, optimè purgabis. Manifestum est igitur, ex verbis Galeni, Hippocratem de cathartico quod habeat scãmoniã, dixisse in hoc aphorismo. Sed quũ scammonia calida sit & sicca, biliosus quoque humor eam habeat temperaturam, & similia similibus gaudeant, quomodo similis similem sibi deponere potest? & non potius contrarium expellit humorem? Ad quod respondendum est. Scammoniã ex præcedente humido victu vires accipere, vt quę est calida & sicca, & ideo bili similis, cõtraria qualitate victus, inuitet & educat humorẽ. Nam ideo offerimus cibos humidos, id est, lactucas, oua sorbilia, & alia similia, vt dum datũ fuerit præsidium, eius qualitas cibi temperantia valeat. Titillat enim & deponit humorẽ. Sic item ex cõtrario, pituita calefit & educitur: melancholicus humectatur atque calefit. Sic nãque eodem modo educuntur humores.

APHORIS. IX.

COrpora impura quò magis nutris, eò magis offendis.

Sensus huius talis est. Si quis putredine in se collecta, nutriri cibo cupiat, plus offenditur quàm nutriatur. Finge aquam turbidam, huic si multã immiseris aquam, totam inficies, & in putridam conuertes. Item si aquæ limpidę modicam nigritudinem sepię inijcias, corrũpitur illa, & nigra efficitur. Ita corpora humana sunt. Si parua fuerit putredo, quantumcunq; dederis cibũ, totus in putredinem conuertitur. ideo inanitionem exposcit.

APHORIS. X.

POtu quàm cibo expleri facilius est.

Hic varia interpretes opinati sunt. Sed ita hæc exponenda sunt. Si quis post ægritudinem vult refici, potu potius reficiatur, quàm cibo. Quæres, quare potu magis quàm cibo? aut de quo potu dicit? quia & aqua potus est. Scito, si volueris cibum offerre ad saturitatem, virtutem non esse quæ illum concoquat. Subtilior autem potus cibo est, & citò replet. Finge tres vesicas, in vnam mitte aquam, in alteram oleum, in tertiam vinum: plus tẽditur quæ vinum habet, quàm illa quæ aquam: plus illa quæ oleum, quàm illa quæ vinũ. Et quia ipsum vinum trifariam diuiditur, est enim album & tenue, rubrum & medium, nigrum & pingue, Hippocrates modò non tenue dari iubet, sed rubrũ. Quare nec illud, nec aliud? Quia tenue plus in vrinam trahitur, quàm ad nutrimentum: Nigrum tardè cõcoquitur. Rubrũ verò iubet dari,

quod Romani centria cauponis appellant. Quid ita? Quòd non in concoctione moratur, & nutrimentum corpori mediocriter ministrat.

APHORIS. XI.

QVæ per morbos relinquũtur à iudicatione, faciunt recidiuam.

Nunc Hippocrates admonet: Si quis post ęgritudinē habuerit reliquias humoris, eum quoq; recidiuam morbi habiturũ. Quæras forsan: Quomodo cognoscere possimus morbum perfectè non esse iudicatum. Scito: Si fuerint ante criticum diem signa congrua præcedentia, id est, capitis dolor, & concoctio vrinarũ, & alia similia iudicata in critico die, ægritudinem recidiuam non habere. Si verò ista non præcesserint, non est ægritudo perfectè iudicata, quanuis cognosci possit & ex habitudine corporis, imbecillitate & virtute ægritudinis, alijsq; signis, quæ ostendũt reliquias morbi recidiuã facere, aut nõ.

APHORIS. XII.

QVibus iudicatio instat, his nox difficilis est, quæ accessionem præcedit: Subsequens autem nox facilior magna ex parte accidere solet.

Vult Hippocrates, vt par est, doctum esse medicum. In superioribus igitur docuit de morbis & victu: nunc necesse illi fuit de iudicatione dicere eorundem morborum. Accipiens istum locum Galenus, libros exinde commentus est. Hippocrates enim breuiter multa ostendit. Roges, qua-

re noctem dixit difficilem & non diem, quum iudicatio pariter & nocte fiat, & die. Dicimus certam rationem, quia sicut homo cessat ab operibus suis, ita etiam quodam modo à corporeis sensibus, noctis torpore simul & horrore occupatus, corporeorum sensuum exercitium non habet. Natura enim humana gaudet ijs excitari, quorum exercitatione moderata solet plurimum foueri. Quum ergo acuta ægritudine aliquis detineatur, quomodo grauem noctem nõ habet: quum hinc ægritudine premitur, hinc verò torpet adiutorio sensuum? Necesse igitur est, vt nocte sentiat æger molestiam: In die verò quamuis non operetur homo, tamen sensus vigilant, & alia officia naturæ. Iterum rogare queas: Quare ante criticum diem perturbatio fit? Nimirum, quia natura velut iudex residet in tribunali, ante quod duo litigantes accedunt: vnus ad alterum dicit: En vinco. Alter inquit, non vincis, sed ego. At vbi ingressi fuerint, & silentium indictum, discernit iudex apud semetipsum, & sic loquitur, Ille vincit: Et quod antea fuit litigiosum postmodũ efficitur quietum. Sic itaque & natura vt iudex constituitur, virtus & humores, cũ affectu litigant, natura verò media est. dicũt humores: Nos illuc ingredimur quia nostrum est. Virtus respondet: Ego assumo tanquam quod meum est. Si se iunxerit natura cum humoribus, vincitur virtus. Si verò se iunxerit cũ virtute, vincuntur humores & affectus, & fit iudicatio ad salutem. Sic itaque confidit virtus naturæ, quemadmodum si deploratus homo habeat patronum bonum. Sed quando agnoscitur iu-

dicatam esse ægritudinem? Quando futura nox leuior superuenerit. magna verò ex parte dicit. Non semper enim id accidit, sed aliquando.

APHORIS. XIII.

IN profluuijs alui, mutationes deiectionũ iuuant, nisi in praua mutẽtur.

Sensus huius aphorismi talis est: Si cui responderit venter, iuuat. Nam plus est quod facit natura, quàm quod ars, nisi in praua mutentur, hoc est, subito ad dysenteriam, de dysenteria in lienteriam: & istud quoque pessimum est.

APHORIS. XIIII.

VBi fauces ægrotant, aut tubercula in corpore oriuntur, excretiones considerandæ sunt. Nam si biliosæ sunt, corpus ægrotat: Si similes sanis, corpus alere tutum est.

Videamus quid sibi velint fauces, Indubiè labia, palatum, & vua sunt fauces, quæ duobus patiuntur modis, Qualitate aut quantitate. Qualitate, quia palatum nostrum sicut cælum est positum. Quantitate, quia immoderatus vapor humorum ab inferiori parte ascendit superius, & intemperiem in faucibus facit. Nutriri tũc atq; temperari debent per cibos. Si ergo fauces ægrotauerint, aut tubercula in reliquo corpore oriantur, excretiones cõsiderandæ sunt. Si biliosę sunt, humorum abundantia est, & natura purgari desiderat: Si verò similes sanis, exacerbatio est. Tuberculum corpori obortũ cum valida natura, su-

perfluitatem in ſuperficiem iactauit vt liberaret vitalia loca. Atque tunc non eſt neceſſe purgari, ſed nutriri corpus & tẽperari, quia feſſa eſt tunc natura, quę illud laborando expulit. Quum enim laborauerit natura, ſuperflua emittendo, ſi nutrimentum in tempore non acceperit, auxilium amplius debilitat, & potius morti ſuccumbit, quàm vitam retineat. Quãuis ergo natura per tubercula vlcerationem faciat cutis, tamen ſine periculo eſt mortis. Igitur conſiderandũ eſt, qualis ſit excretio, ſiue bilioſa ſiue ſimilis ſanis.

APHORIS. XV.

VBi fames eſt, laborandum non eſt.

Hunc aphoriſmum variè interpretantur. Aliqui dixerunt famem eſſe defectum ciborum, alij alia: Galenus verò hunc exponens locum, dicit, Qui non ſunt reficiendi cibo, neque illis aliquem laborem iniungere oportet, neque lauari. Quia lauacrum attenuationem facit: neque vngi, neque tunc facere aliquid, neque abſtinere, ſed paulatim reficere.

APHORIS. XVI.

VBi plus cibi præter naturam ingeſtum eſt, morbum id facit.

In hoc Aphoriſmo, aliud ſenſit Pelops, aliud Lycus. Alij dicebant. Qui plus cibi præter naturã, id eſt, menſurã, ingeſſerit. Galenus eam ſententiam interpretatur, Inſpicienda eſt conſuetudo vniuſcuiuſq;, quid & quantũ ſolitus ſit comedere, verbi gratia, Aliqui comedunt duas quartas, aliqui quatuor, alij plures, alij panem cibariũ, alij ſpõgiam.

Is qui ſolitus erat comedere ſpõgiam, ſi aſſumat cibarium,læditur. Sic item qui ſolitus erat comedere cibariũ,ſi veſcatur ſpongia,offenditur. Tria verò obſeruanda ſunt,vnde proficiũt corpora noſtra,puta concoctio,excretio, & nutrimentũ naturæ. Quoties ergo maior fuerit excretio, minor erit concoctio. Quoties cõcoctio maxima fuerit, excretio penè nulla eſt. Quũ excretio minor eſt, nutrimentum naturæ maius eſt. Id Hippocrates innuit. Vnicuiq;,inquiens,tantum offer,quantum cõcoquere ſufficiat. Nam poteſt fieri,vt multum comedat homo,& plus excernat,quàm nutrimẽtum corporis proficiat. Vnde inueniuntur etiam aliqui qui multum comedant,& tenues ſunt. Ergo tantus neceſſarius eſt cibus vnicuique, quantum ipſe cõcoquere valeat. Sin verò amplius ingeritur,morbos generat.

APHORIS. XVII.

MAnifeſta igitur curatio. Qui copioſè & celeriter aluntur,ij celeriter quoque excernunt.

Hic Aphoriſmus ſenſum talem habet: Si quis comedit tantum, quantum valet concoquere & excernere,& nutrimentum naturæ implere, bonum eſt. Si tamen & facilis ſit venter,optimum eſt, & argumentũ eſt, ſalubre eũ corpus habere.

APHORIS. XVIII.

ACutorum morborũ præſagia non in omnibus ſunt certa, neque ſalutis,neque mortis.

Quæſtio hic oritur: Quomodo Hippocrates,

quũ teſtetur in alijs ſcriptis, ſcienda medico præſentia, præterita, & futura, nunc dicit, non poſſe prædici, neq; vitam, neq; mortem. Videamus ergo quo argumento Hippocrates dicat, ne ipſum damnare videamur. Probè enim noſtis, ſuprà nos expoſuiſſe, quòd quadrifariam diuidãtur omnes ægritudines, hoc eſt, in acutas & peracutas, medias, & longas. Nunc autem de acutis dicit author & peracutis. Sed conſideremus, quas acutas dicat quæ cum febre ſunt, aut ſine febre, aut quibus locis innatas. Sciendum de pleuritica & ſynanchica ipſum ſenſiſſe. Pleuritica paſſio, iuxta vitalia fit loca, quæ quum ſubitò trahitur ad pulmonem, fit peripneumonia, & tranſfertur ex acuta ad peracutam: & propter iſtam mobilitatem, Hippocrates dubium voluit eſſe medicum, ne in aliquo fallax inueniretur. Sic item angina eſt affectio, quæ fit in ipſo principio nutritorij loci, vel vitalis, quæ dum emendari videtur, tunc recidit ad pulmones, & mortem infert. Et in mutatione de loco in locũ dubium eſt. Ideò Hippocrates noluit prædicere medicũ, neq; ſalutẽ, neq; mortem.

APHORIS. XIX.

QVibus iuuenibus adhuc aluus humida eſt, his ſeneſcentibus ſiccatur. Contrà, quibus iuuenibus adhuc aluus ſicca eſt, his ſeneſcentibus humectatur.

Sæpe euenit, vt aliquis in iuuentute aſtrictam aluum habeat, & in ſenectute humidam. Sic item in iuuẽtute humidam, & in ſenectute aſtrictam.

Ergo si habitauerit in regione calida & sicca, & cibis talibus vsus sit, quis ignorat talẽ esse iuuenem? Omnia siquidem talia solent astringere. Immutata verò ætate, necesse est, vt omnia immutentur, & humentem habeant aluum. Nam biliosis siccus per immutationem ætatis victus, à frigida pituita temperatur, & humectatio ex ea temperatura fit, vnde alui solutio. Vt iuuenis verò solutum habeat vẽtrem, situ regionis accidit, & ciborum copia: quia à bilioso incitatur contentiua virtus, & solutionem facit ventris. In senectute enim immutatio fit. quòd pituita soleat cõstringere & constipare.

APHORIS. XX.

QVicunque morbi ex repletione fiunt, vacuatione curãtur: Quicunque vacuatione, repletione. Eodémque modo cæterorum contraria remedio sunt.

Vult hic Hippocrates ostendere, quo modo apud eũ sit definita medicina, docétq; morbos ex inanitione factos, repletione: & ex repletione creatos, inanitione tolli. Igitur si per omnia contraria est inanitio repletioni, & repletio inanitioni, rectè & nos cõsentimus, quod ab Hippocrate amico naturæ & veritatis, bene sit definitum. Et non solũ hoc, sed & omnia cõtrarijs curabũtur auxilijs.

APHORIS. XXI.

MOrbi acuti intra quartumdecimum diem iudicantur.

Vult Hippocrates per iſtum numerum qui ad medicinam pertinet, oſtendere criticum diem, id eſt, iudicationem ægritudinum. & in exemplum adfert acutam paſſionem, inquiens, quatuordecim diebus iudicari. Quærendũ nobis eſt, quare hoc dixerit, quum nos offendamus acutam, qualis eſt pleuritica affectio, vſque ad quadraginta dies protrahi. Diſcurramus ergo per iſtum numerum, vt poſſimus reperire rationem Hippocratis, & dictum. Sciendum itaq; quòd primus dies quartum prænuntiat, quartus ſeptimum, & ſeptimus nonum, & nonus vndecimum, & vndecimus quartumdecimum, & quartuſdecimus decimumſeptimum, & decimuſſeptimus vigeſimum primum, & vigeſimuſprimus vigeſimumquartũ, & vigeſimuſquartus vigeſimumſeptimum, & vigeſimuſſeptimus trigeſimumprimum, & trigeſimuſprimus trigeſimumquartum, & trigeſimuſquartus trigeſimumſeptimum, & trigeſimuſſeptimus quadrageſimum. Et veniũt numeri quatuordecim, quos Hippocrates diſpoſuit, hoc eſt, vnum, & quatuor & ſeptem, & nouem, & vndecim, & quatuordecim & ſeptemdecim, & vigintivnum, & vigintiquatuor, & vigintiſeptem, & trigintavnum, & trigintaquatuor, & trigintaſeptem, & quadraginta. Hoc numero definiuntur ægritudines. A qua ratione videtur Hippocrates diſcrepare, quum ponit tantùm decimumquartũ. Aliud verò quia pleuritis poſt quartumdecimum diem dici non poteſt. Sed dicimus tantum philoſophum rectè hoc propoſuiſſe, nec à vero in ſuis dictis vllo modo diſceſſiſſe. Pleuritis enim tantũ

quatuordecim diebus hoc nomine iudicatur,quæ in ipſo quartodecimo die aut finitur,aut empyema fit. Hoc autem in quadrageſimo die,aut ſoluitur, aut tranſit in phthiſin. Nõ ergo ſic eſt intelligendũ, vt quidam putant,quaſi in quartodecimo die poſſit definitè & certiſſimè omnis ſolui febris,ſed magis in quartumdecimum,qui extenditur vſq; ad quadrageſimũ.Sunt enim in acutis febribus,veri ſuprà ſcripti dies critici.

APHORIS. XXII.

SEptimum diem quartus pronũtiat.

Perſiſtens in numeris oſtendere conatur,quem diem quis pronuntiet.Hęc quoque Hippocrates, per ſubtilem rationem,ad inuerſionem refert,nõ ordinationem.Sed doctorum eſt iſta aliquãdo facere.vt per inuerſionem,rationem reddant,oſtendántque:quemadmodum hoc in loco.Prius enim poſuit maximũ numerum,id eſt,ſeptimũ,poſtea minorem,nempe quartum.

APHORIS. XXIII.

OCtauus principium alterius ſeptimanæ exorditur.

Septimana ſeptẽ dies habet,vnde & ſeptenarius numerus maximè verſatur in arithmetico numero,& criticis diebus:quia in ſe continet parem & imparem,& intra denarium ſolus neque generat neque generatur,quum alij aut generent aut generentur . cuius rationem in arithmeticis pleniſſimam inuenies,vt puta,ſi dicas quatuor & tria ſeptem fiunt,tria autẽ & quatuor pares non inueniuntur.Item ſeptem & ſeptem, fiunt qua-

tuordecim, inuenitur infra metas præſcripti denarij. Vides igitur quòd neque generat ſeptenarius neque generatur. Sed quæſtio oritur. Quum iudicatio ſemper in critico die, id eſt, impari fiat, cur in quartodecimo qui eſt par, non impar fieri dicat. Cui reſpondendum, quòd ſeptē & ſeptem quatuordecim fiunt, qui vtique ſequeſtrati impares ſunt, hoc eſt, duæ ſeptimanæ. Octauus autem principium alterius ſeptimanæ, id eſt ſequentis, exorditur. Nam, quod manifeſtiſſimum eſt, finita ea quæ præceſſit, incipit quæ conſequitur.

APHORIS. XXIIII.

VNdecimus etiam conſiderandus eſt. Quartus enim ſecundi ſeptenarij eſt.

Vndecimum etiam diem notādum eſſe docet, qui alterius ſeptimanæ quartus, indubiam ægritudinis criſin demonſtrat.

APHORIS. XXV.

INſpiciēdus eſt & quintuſdecimus dies. Hic enim tertiæ ſeptimanæ contemplatorius eſt.

Finitis quatuordecim diebus, id eſt, ſecunda ſeptimana, ſi non fuerit iudicata ægritudo, erit inſpiciendus quintuſdecimus dies, qui eſt initiū tertiæ hebdomadis, & à quatuor incipit numerari, quia quatuor vbiq; ſemper pronuntiantur. A quatuordecim enim vſque ad ſeptimumdecimū, quatuor ſunt. Nam iſte numerus ſemper procedit.

APHORIS. XXVI.

ITem decimusſeptimus conſiderãdus eſt. Quartus enim à quartodecimo, & ſeptimus ab vndecimo eſt.

Septimumdecimũ diem ſolertiſſimè ſicut & alios criticos, iudicat eſſe conſiderandum, ſcilicet in quo ordine ſit cõſtitutus. Dicit enim eſſe quartum à quartodecimo, & ſeptimum ab vndecimo.

APHORIS. XXVII.

COnſiderandus & vigeſimusprimus, & vigeſimusquartus, & vigeſimusſeptimus.

Hi enim critici ſunt, in quibus indubiè iudicãtur ægritudines, diſtincti quaternario, ſecundum Hippocratis diſciplinam.

APHORIS. XXVIII.

SImiliter verò trigeſimumprimum, trigeſimumquartum, trigeſimumſeptimũ, necnon quadrageſimumprimũ, quadrageſimũquartũ, & quadrageſimũ ſeptimum inſpicere oportet.

His ſummulis complentur, quatuordecim dies, quibus Hippocrates acutas ægritudines iudicari propoſuit. Et ne nimium grauetur quiſpiam huius diſciplinæ ſubtilitate, dicemus de ipſis criticis diebus manifeſtius, vt tanta ſubtilitas Hippocratis, quaſi de tenebris prolata eluceſcat. Sit naturalium numerorum ſeries ab vno vſque ad quadragintaſeptem diſpoſita, vnũ, duo, tria, quatuor, quinque, ſex, ſeptem, octo, nouẽ, decem, vn-

decim,duodecim,tredecim,quatuordecim,quindecim,ſedecim,ſeptendecim, octodecim,nouendecim,viginti,vigintivnũ,vigintiduo,vigintitria, vigintiquatuor,vigintiquinq;,vigintiſex, vigintiſeptẽ,vigintiocto,vigintinouem, triginta,trigintavnũ,trigintaduo,trigintatria, trigintaquatuor, trigintaquinq;,trigintaſex,trigintaſeptem,trigintaocto,trigintanouem, quadraginta, quadragintavnum, quadragintaduo, quadragintatria, quadragintaquatuor,quadragintaquinq;, quadragintaſex,quadragintaſeptem. Hanc totã ſeriem diuidi oportet in quinq; partes.*Sic* inueniemus cur Hippocrates in diebus criticis,quaternariam differẽtiam faciat. Sit ergo prima pars quæ hos numeros cõtineat, vnum, duo,tria,quatuor,quinq;, ſex,ſeptem. Secunda verò hos, vndecim,duodecim, tredecim, quatuordecim, quindecim, ſedecim,ſeptemdecim. Tertia autem hos,vigintivnũ, vigintiduo,vigintitria,vigĩtiquatuor,vigintiquinque,vigintiſex,vigintiſeptem.Quarta quoq; hos, trigintavnum,trigintaduo,trigintatria, trigintaquatuor, trigintaquinque, trigintaſex,trigintaſeptem.Quinta quoq; hos,quadragintavnum,quadragintaduo, quadragintatria, quadragintaquatuor,quadragintaquinq;,quadragintaſex,quadragintaſeptem.Quæ quinq; partes,à ſe quaternario diſtant.A ſeptenario enim qui eſt vltimus primæ partis, vſque ad vndecim,qui eſt primus ſecundæ partis , quaternarius differentiam facit. Atque ad hanc rationem cæteræ partes diuiduntur.In his etiã partibus ſingulis,tres criticos dies

inesse videndum est: in hac, vnum, duo, tria, quatuor, quinque, sex, septem, initium criticorum habet vnum: in medio loco, quatuor: in vltimo, septem: omnes à se quaternario numero distinctos. Secunda pars in primo vndecim, in medio quatuordecim, in extremo septemdecim. Tertia & quarta, & quinta similiter. Illud quoq; notandum est, quaternarium non vno modo differentiam facere. Nam in ipsis partibus à præcedente numero incipit, inter ipsas verò partes absque præcedente numero procedit. Sic igitur quaternarius per omnem horum supputationem decurrit. At nouenarius qui criticus sine dubio est, à Galeno non immerito additus est, non quòd ab Hippocrate hoc ignoratum sit, (nihil enim in hominis natura, tãtum philosophum latuit,) sed quòd inter cætera, ab eo prætermissum sit. Nõ enim quicquid prætermittitur, etiam ignoratur. In quo numero discrepat tantum quaternarij suprà dicti concinnitas. Quum enim in superiori naturalis numeri dispositione, à septenario vndenarius, quaternario numero distet, inter vtrumque à Galeno nouenarius collocatus, ibi solummodo in computatione, non in natura discrepantiam facit. A septenario enim nouenarius modò tertius est, nõ quartus: à nouenario vndenarius similiter tertius est, non quartus. Galenus quoq; hunc locum pertractans libros ædidit, quos de diebus criticis nominauit. Atque hæc de criticis diebus dicta sufficiant.

APHORIS. XXIX.

QVartanæ æſtiuæ breues magna ex parte ſunt: Autumnales longæ, præſertim quæ hyemem attingunt.

Abſoluens rationem criticorum dierum, hoc dicit, qui velit oſtendere eam in affectibus: & incipit à quartanis, hoc pacto, Æſtiuæ quartanæ breues magna ex parte ſunt, autumnales verò longæ. Si cauſam quæras, Scito, ꝙ quartana ex melancholica fiat materia, & melancholicus humor autumno creſcat. Si æſtate infeſtent quartanæ, ex bilioſo humore peruſto creãtur. & quatuor quædam efficiunt vt breues ſint, vnum, quia ex bilioſo ſunt humore, qui citò iudicatur: aliud quia æſtate generantur: tertium, ſi fuerit ſanguis detractus: quartum, ſi crapulis non indulſerit æger. Vt verò in autũno longæ ſint, multæ res conueniũt in vnũ. Primùm, quia ex melancholica fiunt materia, quæ (vt dictum eſt) autumno creſcit. Deinde ſi crapulis vacauerit ægrotus. Inde, ſi venam nõ inciderit. Quartum ſi ſit in tali ætate. Poſtremò, ſi hyemem attingant. vnde & aliæ veniẽtes ad hyemem, nõ ſic concuſſionem patiuntur. quia inficitur ſiccitas & acquirit ex frigore humiditatem, & inde eſt commotio minor.

APHORIS. XXX.

FEbrem cõuulſioni ſuperuenire melius eſt, quàm conuulſionem febri.

Mirum eſt quod Hippocrates dicit, affectũ curare affectum, & affectum affectui eſſe calamita-

tem. Videamus quid ſit ſpaſmus, aut vnde fiat, aut quomodo affectus affectum curet, & quando affectus affectui calamitas ſit. Spaſmus eſt motus inuoluntarius, voluntaria obtinẽs loca. Fit autem aut ex repletione, aut ex inanitione, quoties ſenſus præfocātur, & vires corporis cum ſanguine ad interiora refugiunt, & ad tẽpus opprimuntur. vnde & membra perfrigeſcũt, vtpote ſanguine destituta, & deficiũt. Omne enim quod in longum tendit in alto eſſe non poteſt. Omne verò quod in alto eſt, in lõgo eſſe nõ poteſt. Scito enim, Sicut mulieres ordiuntur telas, & texunt: ſic & prouidam naturam habere in homine neruos & intextos muſculos & venas carnium, quæ omnia, dum ſpaſmus occupat, obſtupeſcunt, & quaſi diſtenditur tela naturæ. Sed ſi febris ſuperuenerit, agitatur corpus, & extendũtur nerui ſuper muſculos, & venæ reparātur per omnia. Affectus autem affectum curat, quoties ex nimia repletione fit ſpaſmus, & ſubſequitur febris, & perfundũtur nerui. Superueniens verò calor qui frigori eſt cõtrarius, ſubtiliat, relaxat, & euaporat: & ſic medetur affectus affectui. Sed calamitas affectui eſt affectus, quoties ex nimia inanitione, multo tempore laborando febris extenuat, deſiccat, & debilitat: ſuperueniens verò febris & ſpaſmus magis occîdit. Et in iſtis omnibus ſola natura non ſufficit, ſed morbus morbo calamitas eſt.

APHORIS. XXXI.

HIs quæ non ex ratione leuant, cõfidendum non eſt.

Sensus est, Si critico die non iudicantur ægritudines, aut præcedentia signa, quæ solent crisin futurã prænuntiare, non fuerint, non confidas, quia non est iudicatio, sed remissio.

APHORIS. XXXII.

NEc admodum vereberis mala quæ eueniũt præter rationem. plerũq; enim huiusmodi sunt incerta, & nõ diu permanere nec immorari solent.

Mala præter rationem euenientia dicũtur, quæ ex nimio aut insolito ciborũ appetitu malum colorem membrorum producũt: vt sunt nautarum & rusticorum qui comedũt incompositè & præter rationem, prætérque consuetudinẽ, & nutriũt crassos humores. Ergo de ipsis dicit, non vereberis quum incurrũt ægritudinem, quia validi sunt propter copiam illam ciborum, vnde & cito iudicantur eorum morbi, & non debilitantur. Plerunq; autem, dixit, huiusmodi sunt incerta, & difficilis eorum cognitio. Vnde non dubitabit medicus exquirere eorũ rationẽ & nationem. Refert Galenus, Marco Antonio imperante, Glauconem philosophum ægrum quẽdam visitasse, cui nemo potuit succurrere, ob quod Glaucon excruciabatur: quẽ quũ Galenus videret, rogat. Quid habes Glaucon? ille verò respondit hoc de ægro. Mox Galenus dixit, Si iubes, ingrediar & visitabo illũ. At ille cœpit etiam rogare. Quum esset Galenus ingressus, interrogauit ægrũ. Quę tibi fuit vitę ratio? Ille, rusticus fui mõtanus. Iterũ Galenus, Quę tibi consuetudo fuit cibi? Ille inquit, Erucas agre-

ſtes ſolitus erã comedere. Ingreſſus Galenus hortum, collegit faſciculum erucarum, & obtulit ei. Ille vt vidit, cõtinuò iactare ſe de lecto voluit. Dixit ei Galenus, Non expectabis dum coquantur? Reſpondit, non, ſed tãtum crudas date obſecro. Et vt comedit, continuo ſanus factus eſt. Vnde nunquã pigeat medicum, ſemper diſquirere originem cauſæ: vt quod ars non prodit, interrogatio manifeſtet.

APHORIS. XXXIII.

FEbricitãti ſi per ſumma corpus perſtat, nec collabitur extenuatúrque, non eſt graue. Contrà, ſi magis conſumitur quàm ratio poſtulat, graue eſt. Alterum enim morbi longitudinem, illud verò imbecillitatem oſtendit.

Febris aut internas corporis partes tenet, aut externas. Quoties ergo externas occupauerit, ſignum eſt, non craſſos eſſe ægros, & valida natura ſuperfluitatem ad ſuperficiem expellere. In his verò non moratur febris. Quoties verò interna cœperit, ſignum eſt craſſas eſſe habitudines, & obeſiores, & nimiam pinguedinem conglutinationẽ facere pororum, & non dimittere calorem euaporari foras. Habitudo quæ ſolida videtur, interius extenuat & occîdit. Vnde hoc cognoſcitur ex ratione malum eſſe, quantum pinguis eſt materia: & aliud, quia quantò interiùs detinetur calor, tantò maior accidit debilitas.

APHORIS. XXXIIII.

QVum morbi incipiunt, si quid mouẽdum est moue: quum consistũt & vigent, quiescere melius est.

Dubites forsan: Quum suprà dicat Hippocrates in initijs purgãdum, quomodo nunc dicit vsque ad statum sinere melius esse. Quòd in initio purgari iubet, de peracuta dicit ægritudine, quæ ad statum peruenire non potest. Statum autem iubet expectari acutarum ægritudinũ, tum quia initio dum moti fuerint humores non est adhuc apprehẽsa tota habitudo corporis, & ex ipsis nõ laborat tota natura: & idcirco deponẽdi sunt humores. Si verò in augmento fuerit morbus, melius est vsque ad statum sinere.

APHORIS. XXXV.

OMnia quum incipiunt & finiunt leuiora sunt: quũ consistunt, grauiora.

Inspiciamus cur leuiora sint omnia quum incipiunt & finiunt, in statu verò grauiora. Sciendũ, in initio turbatam esse virtutem, dum mouentur humores è suis locis, vsq; dum apprehendant totam habitudinem corporis. tunc enim humores & morbus cum virtute certãt, vnde & virtus sola debilitatur. Et tale quidem patitur natura in initio per omnia, quale patitur ciuitas, dum eam ingreditur caterua militum, turbatur, tumultuatur, vexatur. Vbi constiterit morbus, virtuti requies est. quippe iam perfecta est affectio, & non perturbatur natura, neque acrius certant humo-

res. Natura itaque affectui obœdit, ob quod certans virtus non frangitur, sed ad finem peruenire contendit. Ideóque natura post statum cum functionibus & virtutibus suis erigit se, veluti quærens inimicũ foras expellere. Et post tantum laborẽ fessa & debilis natura reperitur: ac tale quid in his naturæ accidit, quale venatori in theatro. Qui dum intus est ludit cũ vrso, & tam diu fugit quousque ad posticum veniat, at vbi foras egressus fuerit, angitur qui antè timore fugiebat velociter. Vnde dicitur: Timor addidit alas.

APHORIS. XXXVI.

SI cui ab ægrotatione bene assumenti cibum, corpus nihilo proficit, signum est vitiosum.

Cui ab ægritudine, &c. Non dicit de illo qui à sanitate ad morbum venit, sed qui ab ægritudine ad sanitatem reuertitur. Tum quod dicit: *Si bene assumenti cibum corpus nihilo proficit*, graue est. Nam significat in illo putredinẽ esse, quæ refici corpus non permittit, sed totum ad putredinem trahit.

APHORIS. XXXVII.

OMnes ferè qui sese malè habent principio bene assumentes cibũ, nec quicquam proficientes, in fine inedia exigunt.

Persistit Hippocrates in ratione victus, dicitque, qui pessimè habent, principio bene assumẽtes cibum nec quicquam proficientes, carnibus absti-

neant. Iste aphorismus superiori iungitur.

APHORIS. XXXVIII.

QVi principio vehemẽter abstinẽt, postea paulatim se reficiẽtes, melius morbo leuantur.

De peracuto loquitur morbo, monens vt in initijs abstineant. Olim enim vsq; ad tertium diem nihil dabant medici. Vnde & dia triton dies illi vocantur. Sed malè id, quia in omnibus ægritudinibus agebant. Et si erat diaria ab intemperie profecta, magis vexabatur æger exercebatúrq;, & maius fiebat è paruo. Ergo admonet, vt initio abstineant vehementius, & paulatim se reficiant: atque sic morbo citius liberabuntur.

APHORIS. XXXIX.

IN quouis morbo mente constare, & cibum appetere, est bono: contrariũ, vitio datur.

Vult Hippocrates per omnia doctum esse medicum, & ostẽdere conatur, qualis sit mens ægrotantium, inquiens. Si æger cibum appetit, bono est. Nam necessarij cibi sunt aliqui, vt possit cognoscere medicus, vtrum constet mens, an non. Considerare semper debet medicus, qualis sit ægrotans, aut quibus delectetur rebus. Si est religiosus, apponere debet illi diuinam scripturam, si tamen antea hanc amauerit. Si vero ludum literarium frequẽtet, fabulas Vergilij inserere: breues tamen, quæ illum ad furorem non prouocẽt. Si fuerit adultus: Terentij fabulas & comœdias: & inde aliquid illi recensere. Sic enim cognosces

an ſana mens ſit. Si enim hæc omnia aptè ſuſce-perit, tunc & medico ſe committet,& quicquid ei offerre volueris promptè ſuſcipiet. Bene igitur mentem ſanam dixit eſſe, quod eſt principium corporis. Cibi autem ſunt, quicquid eſui offertur. Si hæc facile aſſumpſerit, bonũ eſt. Si omnia hæc reſpuerit, cõtrarium eſt, eò quòd ſignum ſit mentem ægrotare. Deinde, quia medicum à quo debebat auxilium ſuſcipere, repudiãs, cibos non aſſumit: & hæc omnia contraria ſunt.

APHORIS. XL.

PEr morbos minus periclitantur ij quorum naturæ morbus cõuenit, aut ætati, aut habitui, aut tempori, q̃ quibus non conuenit aliqua ex his ratione.

Controuerſia videri queat: Si regula eſt, ſimilia ſimilibus gaudere, & calorem calori augmento eſſe: item ſi æſtas calida eſt, humor calidus, iuuenis calidus, iſta omnia coëuntia, non faciunt à ſe alienum morbũ, ſed magis augent calorem. Verùm ſciendum eſt, omnia hæc ſimul incidentia non efficere peregrinam ægritudinem, ſed ſecundum naturam. Nam ætas ſecundũ naturam eſt, & humor, iuueniſque in tali regione. Sed febris quæ naturæ non conuenit, id eſt, accidentaria, ſuperat omnes res naturales, quia à natura recedit. Omne enim quod ex calido eſt, cito mouetur, & iudicatur. Si ſecundum calorem non fuerit, malũ eſt: vt eſt iuuenum ægritudo in hyeme, & ſenũ in æſtate. Atq; hi morbi naturæ non cõueniunt, qui non in ſuo tẽpore veniunt, nec in propria ætate.

APHORIS. XLI.

IN quauis ægritudine partem vmbilici & imum ventrem esse pleniorem melius est: admodum extenuari atq; tabescere, vitiosum est. Ad inferas etiam purgationes, hoc tutum non est.

Hippocrates dum vmbilicum nominat, media corporis nobis ostendit, hoc est, à parte totum. Si quis ergo multo tempore confectus ægritudine, media pleniora habuerit, quale signum est? Scias malum nõ esse. Quoniam illic epar, stomachus, & cor est, illic operationes obeunt naturæ: Quæ dum omnia sana fuerint, quicquid accipitur, citò concoquitur, & nutrimentũ naturæ ministratur. Et quanuis longa fuerit ægritudo, extenuata corpora non sunt, si vitalia & nutrimentalia bene habeant. Si verò extenuatum corpus fuerit, veluti quibusdam subsidet stomachus, ita vt spina & venter vnum sint, malum est, testatúrq; non longum vitæ spaciũ superesse: quia omnia extenuata sunt: & tum, quòd nutrimentum non datur corpori, afficiuntur simul principalia membra. Vnde non vitæ, sed potius mortis erit expectatio.

APHORIS. XLII.

QVi salubri corpore sunt, celeriter per euacuationes oppressi, dissoluuntur atq; etiam qui cibo prauo vtũtur. Nam qui corpore bene cõstant, in purgatione laborant.

Hic aphorismus hoc modo intelligendus est. Aliquibus iubet fieri purgationem, aliquibus nō. Videamus quid sit sanitas, aut quare purgatio sit contraria sanitati. Nimirum quia sanitas est temperies naturæ calidi & humidi. Igitur si sanitas temperies est, auxilium calidum & siccum vtiq; intemperiem facit. Sani ergo ideo accepta purgatione grauātur, quia apti humores perturbantur, & pro bonis mali eueniunt & emittuntur boni. His verò qui malo cibo vtūtur, hoc est, mala mistura ciborum & humorum laborant, necessaria est purgatio: vnde & non læduntur, quia malos humores vnde grauabantur eijciunt.

APHORIS. XLIII.

Potus & cibus paulò deterior, modò suauior sit quàm qui melior sed insuauior, anteponendus est.

Roges, Si potū & cibum assumere malum est, quid bonum? Videamus quot modis cibus intelligatur, quot item modis potus, aut de quo potu cibóve loquatur. Indubiè de pane & vino. Inspiciamus igitur quot modis panis dicitur. Est appetibilis, vt musteus: Consuetus, quem comedere solent homines: & necessarius, vt spōgia. Vinum similiter cognosci debet, quod quis, vel quo tempore, debeat bibere. Quod etiam à Galeno probatū est. Itaque est vinum Siculum, Samellum, quod potari debet hyeme, Surrentinum, quod cōuenit in æstate, Gaietum, Palmatiū, & Leucanense. Sed reuertamur ad institutum. Quare in periculo est, qui nihil assumere potest? Exempli gratia, Medi-

cus ægroto iniungit ſuccum aliquem: Ille renuit accipere, imò ne audire quidem ſuſtinet. Rurſus medicus rogat, quid ergo tibi vis? ægrotus reſpõdet, Si iubes, buccellam vino imbutam aſſumam. is ergo cibus ipſi ſuauior eſt, eúmque deſiderat. Qui verò etiam pauxillũ reſpuit, deterius habet. hoc ergo præuidẽs, & quia forſitan aſſumet poſt triduum ipſos cibos, conſidera virtutem & deſiderium, & concede illi pauxillum. Illud ſi acceperit, melius & ſuauius eſt. Si non acceperit, peius eſt, quia & virtus debilitatur, & appetitus nõ ſatis reſpondet. dabis ergo illi buccellas. Si roges, quales? aliquando ex ſpongia quæ pridie ante ſit decocta. Nam ſimila modicã aquam recipit, atq; diutius emollit, fermentum autem recipit. Ideóq; poſtero die exhibetur, vt quod humoris habet, abſumatur, plus autem fermenti non acquirat. Sed & illud prius aqua frigida diluẽdum eſt. Vinum verò Leucanenſe accipere debet. Nam electum eſt ab authoribus. Si talis ſit locus vbi nõ ſit Leucanenſe, facies ex arte vinum quod vbique reperiri poteſt, hoc eſt, hydromel, & concedes deſiderãti: atque hoc ſuauius recipit. quo modo dicitur apud Romanos. Quod bene datur, bene ſuſcipitur, bene concoquitur. Si verò volenti nõ dederis, inſuaue eſt, & inde deterius habet, quando non conceſſeris virtuti & voluntati.

APHORIS. XLIIII.

SEniores & iuuenes plerunque pari modo multum ægrotant. Attamen illis longi morbi accidunt, & ſæpe eis

commoriuntur.

Queritur ex Hippocrate, Si senex multũ ægrotat, & iuuenis item multum, vter minus ægrotat? Huic quæstioni respõdens, iuuenes posuit multũ ægrotare, eò quòd acutam nimiũ semper incurrant ægritudinem. Senes autẽ, quia quanto habẽt crassiores humores, tantò longiore tempore protrahitur ægritudo. Et quod iuuenes breui tempore laborãt acuta ægritudine, hoc senes multo tẽpore protrahunt, & reperiuntur ambo similes. Ille longo tẽpore, qui acutam incurrere nõ potest: alius breui, qui repẽtinã, quę citò debilitat. Adeò, vt senibus ad mortem vsq; durent morbi: & dicuntur conuiuæ, qui ipsis commoriuntur.

APHORIS. XLV.

RAucedines & grauedines maioribus admodum natu concoqui nequeunt.

Vt superius dictum est, quòd senioribus aliquę ægritudines commoriantur, id nunc denuo testatur: Quòd raucedines & grauedines cõcoqui nequeant. Quid est raucedo? Nimirum quum fauces præfocationẽ â frigido humore sustinuerint. Et quia calor in senibus minor est, quàm vt illum relaxare possit, ideo in eis non concoquitur, neq; relaxatur. Grauedo est obstructio meatuum nasi, qui à colando ethmoides dicuntur: qui affectus eodem modo fit, & non concoquitur, propter rationem quæ superius dicta est: & hæ dicũtur conuiuæ ægritudines, quæ iam cũ ipsis cõmoriũtur.

APHORIS. XLVI.

QVi sæpe & multum exoluuntur sine causa manifesta, ij derepente moriuntur.

Notandum, nisi causa præcesserit, affectum nō oriri. Præcedit ergo offensa, testatúrque morbum repentinū esse, qui citò mortem inferat. Si tamen nulla causa præcesserit, hoc est, aut vētris fluxus, aut sanguinis, qui possit debilitare, aut longi temporis inferre ægritudinem, aliáve signa quæ noxam solent afferre, derepente morietur æger.

APHORIS. XLVII.

APoplexia vehemens solui non potest: leuis, non de facili potest.

In præsenti aphorismo disquirendum est, quid sit apoplexia, aut quot sint differentiæ, aut vnde gignatur, aut quis locus patiatur, aut cur alia nō soluitur, & alia difficilè curatur. Apoplexia, est omnium quatuor humorum exuberantia præter naturam, occupans ratiocinationem, memoriam, & imaginandi facultatem. In qua vētriculi meatus replentur humoribus. qui extendunt mēbranas cerebri. & sine motu accessiones facit, his qui patiuntur. Propriam tamen originem habet ex phlegmatico humore. Differentię autē sunt duę, maior & minor, id est, apoplexia & hemiplexia. Apoplexiæ læsio duobus modis fit. Nam qualis fuerit eius vis, talem facit læsionē. Sed quare non curatur apoplexia maior? Demus exēplum, per quod possimus cognoscere proprietatē eius. Pone esse in curru aurigam, vinctis quatuor equis &

cinctis fasciolis per iugulum, alijs dextra & sinistra parte, alijs per medium ductis. quod duobus modis fit: vno vt equos regat: alio vt se cõtineat. Sic prouida natura interius fecit musculos. Iste verò dum currum ascenderit, & virtus illi fuerit circumijciendi loris ora equorum, directo itinere equi pergunt. At dum vnus ex eis erũpit, victus tunc auriga & raptus, proijcitur quò non vult, & morti succumbit. Sic itaque & humores dum secundum naturam fuerint, conseruant naturam: dum autẽ vnus ex eis exuberauerit, ægritudines gignit. Et si vnus periculum facit, quantò magis omnes quatuor, quum exuberauerint, & principiũ corporis obtinuerint? Sed interrogare posses Hippocratem. Quũ dicit, Nisi corde affecto homo non moritur, in apoplexia quo modo cor patitur, dum repentina fuerit affectio cerebri? Quibus id respondendum est. Quoniam ex cerebro nerui habent originem: pulmones qui sunt cordis nostri flabellum detinẽtur ab ipsis neruis, per quos & agitantur. Ergo dum cerebrum afficitur, nerui non mouentur, dum verò nerui nõ mouentur, pulmones nõ exagitantur, & cordi temperamentum non ministrant. & sic in suo loco cor periclitatur, & mors euenit. Item cognoscimus esse apoplexiam, dum spumam ædit, & extensionem molitur, & oppressionẽ: Hemiplexiam verò quæ solũ extensionẽ. vnde & aliquando curatur, quia minor est læsio. Ergo, vna totum corpus possidet: altera, partes aliquas relinquit. & hoc, quia maior ex omnium humorum superfluitate constat, minor verò ex aliquorum superabundantia.

APHORIS. XLVIII.

QVi ſtrangulantur & exoluuntur citra mortem, ſi ore ſpumant non reficiuntur.

Videamus quot modis fit ſtrãgulatio, aut quare hi qui ſpumam ędiderint moriantur. Nimirũ, quia ſtrangulatio, quatuor modis fit, aut intrinſecus, aut extrinſecus aut cum voluntate, aut citra voluntatem. Intrinſecus, vt in apoplexia. Extrinſecus, vt quum cadẽs quis ipſe ſe opprimit. Cum voluntate, quum aliquis ſe laqueo ſuſpendit. Citra voluntatem, quum aliqui cruci applicãtur, vel in foueam cadunt. Ergo vtroſque dum inueneris ſpumantes, iam non de vita ſperes. Spuma enim humor eſt, quem calor naturalis cum flatu & ſpiritu vitali ad fauces veniens, facit. Sicut in cacabo fit, vbi impoſitę fuerint carnes, aut legumina. Ex calore fit flatus, ex flatu ſpuma, & ea tã diu fit, quouſq; flatus amittatur. Sic itaq; & in mari concepto flatu nimis exagitando ſpuma ad littus fit, vt ſi quis voluerit in lagenam, aut vtrem liquidum inijcere, celeriter ad os ſpuma eleuatur. Sic itaq; & natura dum ſpumam fecerit in ore, ſignificat calorem naturalem cum flatibus & ſpiritu vitali relinquere oſſa interiora. nulla ergo ſpes eſt vitæ. Si quis roget: Epileptici dum ſpumant, quare non moriuntur? Reddimus talem rationẽ. Quia ea ſpuma non eſt ex interiori parte, ſed ſolummodo ex palato & faucibus.

APHORIS. XLIX.

QVi obeſi admodũ ſunt ex natura,

celerius moriuntur, quàm qui graciles.

Quæras fortè, Cur Hippocrates dixerit neminem incrassari posse nisi copiosè fuerit refertus, & sanas habuerit facultates operatrices. dicimus, quia nunc supra naturam dicit crassum, & gracilem secundum naturam. Moritur enim celerius crassus. Nam præfocantur venæ seu arteriæ, & officium naturale non potest perfici, & sic præfocati moriuntur celerius, quàm graciles secundum naturam. Contrà, graciles præter naturam celerius moriuntur. Nam apertis meatibus ex nimia siccitate omnis calor euaporatur. Id nos docet vsus corij, quod dum siccatum fuerit, transflucet, imbutum autem perfusúmque spissatur. Homo enim plures cauernas habet & maiores, quàm cætera animalia, vt qui plus algeat, quàm cætera animalia. Iussit quidam Persidis imperator, corium à quodam tolli, atq; inde aliquas vmbras tegumenti fieri. vnde probatur, patentiores texturæ cauernas hominẽ habere, q̃ cætera animalia.

APHORIS. L.

QVi morbo comitiali laborat, si iuuenis est, liberari mutatione potissimũ ætatis, loci, & victus munere potest.

Cõsideremus, vnde fiat morbus comitialis, aut in quo iuuene fieri dicat Hippocrates. Comitialis morbus est affectus cerebri sine sensu ac motu: qui ex melancholico fit humore, quoties exuberauerit, & ad cerebrum conuenerit. Aliquando etiam ex pituita. Iuuenes dicit, à quartodecimo

anno vsque ad vigesimumtertium, non autem vigesimumquintum attigerint. Sanãtur multis modis: vno, quia immutatio est humoris: deinde, quia immutatio est ętatis, & in termino hoc ætatis amputatur affectio, modò fuerit æger abstinẽs à cibo & potu, quæ Hippocrates victũ dixit. Si verò excesserint tempus illud, cum ipsis cõmoriũtur.

APHORIS. LI.

SI dolor geminus eodem loco infestat, qui vehementior est, alterum leuiorem obscurat.

Succurrit quærere, quomodo in vno loco duo sentiantur dolores. Videamus ergo quid sit locus. Locus est pars vna, multa in se continens membra, vt est domus, multa in se habens cubicula, in vno cubiculo habet multos considẽtes homines: deinde manus vna multos habens digitos, & digitus vnus plures habet iuncturas. Ergo id est, quod Hippocrates dicit: Si fuerit dolor in vno digito, & postmodum subsequutus fuerit dolor alius, plus vrget dolor posterior. Nam ille prior iam tumet, tumor euaporat discutitúrque & minus habet doloris. Hic ergo qui postmodum venit, vehementior est, & illum minorem dolorem opprimit. Exemplũ pone: Sicut si alicui moriatur proprius canis, & pòst caballus: magis dolet ob caballum, quàm canem.

APHORIS. LII.

DVm pus conficitur, dolores ac febres accidũt magis, quàm vbi cõfectum est.

Sanies in nullo loco est nisi vbi sanguis aduenerit. Ergo siue ex pituita, siue ex bilioso sit tumor, siue ex melancholia, nisi sanguis aduenerit, nunquam fit sanies: quia omne quod putrescit, nisi calidum & humidum fuerit, (qualis est sanguis) putrefieri non potest. Dolor igitur fit, quia extenditur locus. Febris verò duobus modis fit, vel quia pus ex sanguine est, qui est calidus & humidus: vel quia vbiq; sunt nerui, & arteriæ, & venæ, quæ aggrauata, principia febris quia patiuntur, prouocant: & ideo cōfecto pure fugiunt magis febres, quàm antea.

APHORIS. LIII.

IN omni corporis motu quum fatigari incœpit, cessasse protinus lassitudinis leuatio est. Qui assueuerunt ferre labores, etiamsi inualidi sunt, aut senes, facilius ferunt, quàm qui non sunt assueti, quanuis robusti & iuuenes. Quæcunque longo tempore assueta sunt, etiam si deteriora sint, minus infestare solent, quàm quæ insueta sunt.

Absoluens sermonem Hippocrates de apoplexia, morbo comitiali, & pure, instituit hic de exercitio disputare, ob quod quærendum nobis est, Quod exercitiū vniuersaliter mouet, & quod particulatim: aut de quo exercitio Hippocrates in præsenti loquatur. Quum enim siue pedibus, siue manibus quilibet exercetur, toto corpore commouetur: vtputa scriptor manibus exagitatur, & to-

tum corpus laborat:fullones pedibus laborant,& totum exagitatur corpus.qui verò currunt pedibus laborant,& totum exagitatur corpus. Sunt & alia multa quæ nunc nobis necessario sunt exponēda. Veniamus ergo ad propositum. Sciendū Hippocratem nunc de opere loqui,quod non solùm corpus totum verūetiam memoriam exagitat, & humores extenuat, & ad pristinam reuocat sanitatē. Sed & ipsum aliquādo fit particulatim,quū hos qui pro consuetudine manu aliquid eijciunt,facimus modicè respirare:aliquando etiā vniuersaliter, quum post ægritudinem volumus alios exercitare, & spatium illis dictamus. isti id experti dolent:dum requieuerint,desinit dolor:& quia cessauit causa,cessat & affectus. Hippocrates itaq; ponit duos, vnum consuetum, & alium inconsuetum,in quibus qui consuetus est nō tantum læditur vel laborat,quantum, qui consuetus non est. Pone esse duos facientes iter,vnum solitum ambulare triginta miliaria, & aliū qui nunquam iter agressus sit:hic qui cōsueuerat perficere triginta miliaria, si sibi addat & alia decē, nō multum læditur. Ponit igitur & iuuenem & senem,aítque, Senex facilius fert laborē quàm iuuenis. Quare ergo potius posuit Hippocrates, senem tolerare laborē quàm iuuenem? quum hic tam exercitio & ciborum copia,quàm calore naturali vegetior sit, senex verò nec exercitium,nec laborem,nec ciborum copiam,nec virtutem in se habeat, quomodo ergo magis sustinet laborem? Huic quæstioni ita respondetur. quia senex consuetudinem habuit,iuuenis non item. Nam idem

ipſe Hippocrates dicit, Consuetudo cõſeruat naturam, & natura conſeruat conſuetudinem. Aliter, Corpus noſtrũ tribus dimenſionibus conſtat, longitudine, altitudine, latitudine. Senex omnia tria in ſe habet, Iuuenis verò ſi duo habet, tria habere non poteſt. Propter iſtam itaque rationem Hippocrates poſuit, ſenem magis ferre laborem, quam iuuenem.

APHORIS. LIIII.

AD inſueta igitur mutaſſe neceſſe eſt. Nimis, repentéq; euacuare, implere, calefacere, refrigerare, quóve alio modo corpus mouere tutũ non eſt. deniq; de alio tranſire in aliud præſtat.

Quæſtio oritur hic, Quum ſuperius conſuetudinem laudauerit, & illam dixerit ſecundam eſſe naturam, cur nũc ipſam immutari deſiderat? Sed videamus quam conſuetudinem dicit, propriámne an accidentariã. Nimirum non propriam, quã laudauit, ſed adiectitiam reprobat. Pone ruſticũ eſſe qui delicijs ſe tradiderit, hic dum ægrotauerit, ad conſuetudinem propriã reuocatur per immutationem accidentariam. Sic enim refert Galenus, quendam ægrotaſſe ex familia ſplendida, ſub Marco Antonio imperatore, & iſte nullo modo poterat ſanari, donec conſuetos cibos aſſumeret. Ergo in his nõ cõſueta mutãtur, ſed magis ad cõſueta reditus eſt, donec ſani fiant. hoc ergo ipſum Hippocrates dicit in præſenti Aphoriſmo, & præcipit à contrario, vt quæ inanita ſunt, per copiam repleantur: & quæ repleta ſunt per ine-

diam inaniantur: quæ verò refrigerata, recalefiāt, ita tamen vt non nimium repetat, sed paulatim. Nam ex multo offenditur natura, mediocri autem gaudet.

APHORIS. LV.

SI quum omnia ratione feceris, non id prouenit quod ratio postulat, noli in aliud transire, dum maneat quod principio visum est.

Hippocrates per omnia vult doctum esse medicum, dicens, Si tibi visum fuerit adhibere auxilium, vtputa in podagrico affectu, adhibe, si auxilij congruum fuerit tempus, & virtus apta, & regio talis. quòd si id non profuerit statim, non est mutandũ continuò aliud præsidiũ, quia tunc magis læditur ægrotus. Pone hominem laborantem bilioso humore, cui exhibeo medicamētum quod deponat illum humorem, ídque pondere vnius drachmæ. Inde non timendum est, neq; aliud cōtinuò adhibendum præsidiũ, sed post paucos dies tantùm illi reddere id ipsum. Si ne sic quidē profecerit, nec inde afficior, sed considero epar naturam igneā habere. ergo ante horam qua illi offeram medicamētum, do illi oua sorbilia, aut aliud tale, vt epar tēperetur & adiuuet præsidium, quò humores purget. Sic & in curatione stomachi facimus. Curamus triduo, & intermittimus duos dies, & denuo curamus. Curatio enim stomachi tribus modis fit, aut minimè, aut mediocriter, aut maximè. sicut & calor minor, medius, & maximus. Minor, vt fomentum quod poros ad sudorē

prouocat, & euaporat: Medius, vt cataplasma quod relaxat: Maximus, vt Mallonis & Ortomillæ medicamenta, quæ desiccant. Ergo dum omnia secundum rationem præuideris, nõ continuò aliud offeras medicamentum.

APHORIS. LVI.

QVorum aluus humida est, hi quã diu iuuenes sunt melius degunt, q̃ quibus sicca est: at in senectute deterius. Siccatur enim aluus magna ex parte his qui senescunt.

Hippocrates laudat iuuenem qui solutum ventrem habet, quia crapulis vacat. Solutio enim vẽtris inanitionem superfluorum molitur. Si enim quis obesior sit, quomodo nisi educto malo humore extenuabitur? Quare in senecta desiccãtur? Ratio huius aphorismi cum illo cõsentit, qui habet, Quibuscunque iuuenibus adhuc aluus humida est, his senescentibus siccatur. Causam illic exposuimus.

APHORIS. LVII.

MAgnitudo corporis in iuuenta quidem formã liberalem adfert, nec iniucundã, sed in senectute vsu difficilis est, atq; deterius quod procerius est.

Magnitudo corporis dicitur ab Hippocrate, quã in iuuentute subito acquirimus, sed iniucũda est, id est, incommoda. Sæpius enim tali præditi citius occidunt, & ante annos legitimos moriuntur. Sicut enim ante tempus ad integrum excre-

ſcunt,ita & ante tempus intereunt. Quod enim intempeſtiuum venit,intempeſtiuum recedit. Videamus nũc quot modis dicatur magnitudo,quã Hippocrates in iuuene laudat. Trifariam enim accidit,pulchritudine, forma, poſitione. Iuuenis enim etſi non omnia,vnum tamen ex his tribus habebit: Senex autem nihil horũ habet,ſed marceſcit ipſius caro,curuũſq; & inutilis fit. Sed quęritur, cur incuruatus ſenex ambulat? Sciendum, quòd natura fecit muſculos quatuor,quorum nomina in anatomicis ſcripta ſunt:duo antè & duo poſterius ſunt, qui etiam noſtrum dirigunt corpus. Ergo in ſenibus illi interius deſiccantur, & tabefiunt,& curuantur. Modicos autem dixit vel ſtaturæ minoris, eò quòd firmiores ſæpiſſimè fiant: vel infantes, qui etiamſi inutiles ſint, accedente ætate melioreſcunt. Senex autem in peius magis quàm in bonum decidit.

LIBER TERTIVS.

APHORISMVS I.



Emporum mutationes potissimum pariunt morbos.

Absoluta atq; digesta secūda particula de affectibus, id est, de apoplexia, vel alijs signis, nunc quoq; introducit physicam rationem breuiter, & ventorum ac temporum immutationem. Videamus igitur quot modis fiat immutatio. Quinq; nimirum, id est, natura temporum, natura inuisibilium, natura corporum, ætatum, humorum. Summatim ita fit, particulatim & mensium & dierum, & horarum, & locorum. Sed quia nūc de temporum immutatione nobis sermo est, videamus, quot modis fiat eorum immutatio. Trifariam, aut quum naturaliter frigida tēporibus calidis corrumpuntur, aut naturaliter calida frigidis inficiuntur, aut naturaliter media in aliquod contrarium vertuntur. Quod etiam bipertitò fit. Quod enim tepidum est, aut calore superatur, aut frigore vincitur. Horum ergo tēporum immutationibus maximæ immutationes humorum nostri corporis fiūt. licet immutationes fiant, vt iam dictum est, non solum temporibus, sed etiam ætatibus, locis, humoribus, & cibis. Sciens ergo Hippocrates temporibus subiecta esse corpora nostra, dixit, in his immutationibus temporum, maximè generari morbos, quia per ista nutriuntur corpora nostra, eisdémque inficiuntur.

APHORIS. II.

MAgnæ temporũ mutationes, aut frigoris, aut ęstus, & reliqua ex ratione grauius incidunt. Et naturarum aliæ ad æstatem, alię ad hyemem bene male ve se habent. Eodem modo ætates ad tempora, loca, & victus genera.

Exempli gratia: Si æstate contagium luis alicuius sit, aliquando æstus, aliquando frigus, morbos significat. Nam sunt ætates & corpora, quibus magis est contrarium. Nam alicui ista imperant, & alicui non. Hi autem qui sustinent, nec multum læduntur in æstate, vt sunt fabri ærarij aut ferrarij, qui consueti sunt ad ignem laborare, & credũt se semper in æstate esse: sicut & phthisicus, qui quum sine calore nunquam sit, oblitus est se sanum fuisse. Hyeme quoq; non læduntur rustici, aut hi qui consueti sunt in syluis morari. Ideo dixit: Aliqui in æstate bene, aliqui malè: aliqui hyeme bene, aliqui malè: sciẽs non omnes homines vnam habere temperaturam. Victum bene addidit. Nam sunt qui ferunt ieiunium, sunt qui non ferunt: aliqui sustinẽt labores, aliqui non: Alij contenti sunt pauco cibo, alij etiam appetũt multum. Ætates verò dicit temporibus, regionibus, victu, bene aut malè consistere: quia si ætatibus hæc apta fuerint, ætates se bene habent: Si autem incommoda vel inconsueta, malè. Vides enim seniores laborem non ferre, nec infantulos ieiunium. Quorum ratio superius est ostensa.

APHORIS. III.

PEr tempora, quoties eadem die modò frigus, modò æſtus exiſtit, morbos autumnales expectari oportet.

Quare hic autumno potius quàm alio tempore morbos expectãdos ponit? Quia dies tunc immutantur maximè. Ergo mane quãdo debet eſſe frigidior aër, ſi æſtus fiat: & iterum meridie quãdo debet eſſe æſtus, ſi frigidior ſit aër, iſta intemperies, ſi in vno eodémq; die fiat, aut dies ſecundum tempus horarum naturam ſuam non cuſtodit, imitatur intemperiem autumni. Vbi propter frigus & ſiccitatem morbi eueniunt mortiferi. Bis aëriam intemperiem ſignificat, & tunc dicit expectandas ægritudines, quia quãto maior eſt intemperies, tanto magis creſcit contagium.

APHORIS. IIII.

AVſtri hebetãt auditum, caliginem oculorũ obducũt, corpora diffundunt pigrioráque faciunt, caput aggrauant. Vbi tempeſtas ita præualuerit affectus eiuſmodi exiſtunt.

Ventorum nobis qualitatem introducit Hippocrates, oſtenſurus quo modo corpora noſtra ſuſtineãt immutationes eorum. Sed quum iſtud in rerũ naturalium ratione ſit, breuiter tamen quãtum ad medicinam pertinet locum conſiderãtes, non omittamus. In præſenti ergo Aphoriſmo requirendum eſt, quot ſint venti, & quot ſint naturæ eorum, vel vnde oriantur. Deinde vtrum venti

tempora immutēt, an tempora vētos. Sciendum aliquos philosophorū duos dixisse ventos, aliquos quatuor, aliquos duodecim. hi qui duos dixerunt, secūdum orientalē plagam & occidentalem hoc voluerunt, vt ab oriente esset subsolanus, ab occidente esset fauonius. Hi verò qui quatuor dixerunt, secundū plagas cæli voluerunt, vt à meridiana surgat auster, à septētrionali boreas, ab oriēte subsolanus, ab occidente fauonius, vt scriptū est. Hi autem qui duodecim dixerunt, secundum quatuor temporū duodecim menses, quatuor vētos principales voluerunt, vt vnusquisqꝫ in se duos alios contineat, & vnamquamqꝫ plagam tres occupent, verbi gratia, Boreas vnus duos habet alios, qui cum eo vergunt & consentiunt, quum vernum tempus & cum hyeme propinquitatem habeat & cum æstate. Sic & de cæteris. Sed quæ sint nomina, vel naturæ eorum, in physiologorū libris latius dicitur. Oriuntur autem venti à quatuor lineamentis mundi, vnde & oriuntur sol & luna, & alia signa. Quorum natura aut est calida, aut frigida, aut mixta. Natura etiam eorum talis est qualia tempora, vnde & in temporibus suis vnusquisqꝫ dominatur ventus. Siquidem si secundum suam naturam fuerint tempora, non immutantur, sed venti tempora immutant, & temporibus deseruiunt. Sed cur prius oculorum caliginem, deinde auditus hebetudinē ponit, quum simul visus & auditus ex cerebro procedant? Hæc nō possunt agnosci leuius, quo modo inde habeāt principium, quàm ex officio ipsorum. Ergo dum auditus & visus minor fuerit, tunc intelligo cere-

auster. boreas. subsolanus. fauonius.

brum reſolutum quidem eſſe, ſed euaporari non poſſe. Hoc autem incommodum duobus modis fit, vno, quia craſſa reſoluit calor venti, quæ euaporari nō poſſunt: & alio, quòd humiditas humiditati augmentū eſt. Ergo quando hic fuerit ventus, ipſas præcedit futuras ægritudines. Auſtrinus verò calidus eſt & humidus, calor diſſoluit, humectatio replet.

APHORIS. V.

SI tēpus aquilonium eſt, tuſſes faucis, alui duræ, difficultates vrinæ, dolores horrifici coſtarum & pectorum accidunt. Vbi ita tempeſtas exuperarit, affectus eiuſmodi expectato.

Naturam huius venti frigidam & ſiccā oſtendit, vt tuſſim faucium dicat. Notandum, tuſſim duobus naſci in locis, aut in altitudine, quod & tuſſis vocatur: aut in ſuperioribus, quod in faucibus vuā titillat, & tuſſicula nominatur. hāc Hippocrates tuſſiculam vocauit, id eſt, modicam tuſſim. Ventres quoque duros facit, & ſiccos, & vrinam difficilē. vnde multi ex frigore moleſtātur, & ſtranguriam patiuntur: horrificos quoque dolores laterū & pectorum frigus facit, quia q̄ maximè in concauitatibus dominatur is ventus. Ergo dum iſtud cognoueris eſſe, ea prædices.

APHORIS. VI.

QVoties æſtas fit ſimilis veri, ſudorum copiam in febribus expectare oportet.

Finito ſermone de diuerſis efficacijs ventorum, quem interpoſuit, nunc ad ipſam temporũ diſputationem, quam ſuperius cœperat, redit. hoc ergo dicit, Si infecta fuerit æſtas, & ſimilis facta verno tempori, ipſo anno febris qualiſcunq; fuerit, per ſudorem finitur. Quia natura quoties tẽperata fuerit, calida eſt & humida, & ex ipſa tẽperie gaudet natura. Deinde quia calidum & humidum celerius putreſit, humectatio euaporat, calor deſiccat.

APHORIS. VII.

PEr ſqualores febres acutę fieri ſolẽt. Et ſi magna ex parte talis ſit annus, qualẽ fecerit conditionẽ, morbos quoq; expectare magna ex parte oportebit. In temporibus naturæ legitimis, cúmque tempeſtiua tempeſtiuè redduntur, morbi conſtantes, ſynceri, & faciles veniũt. at verò iniquis, inconſtantes, & iudicatu difficiles exiſtunt.

Hippocrates temporũ nobis dat cognitionem, dicens, Si annus fuerit talis conſtitutus, vt æſtas ſecundum ſe calida & ſicca non ſit, nec æqualitates temporum, æqualitas corporum ſeruari non poteſt: niſi quum fuerit rata temporum qualitas pro natura ſua. tunc qualis fuerit annus, tales erũt ægritudines. Si verò æſtas ſimplex fuerit, æſtiuales morbi orientur, ijq; ſecundũ tempus, qui non diu vigent, ſed ſoluuntur finiuntúrque, quia naturales ſunt, non peregrini.

APHORIS. VIII.

PEr autumnum morbi acutissimi atque exitiosissimi accidunt magna ex parte. Ver saluberrimum est, miniméque exitiosum.

Autumno ægritudines acutæ & mortales fiũt, quia hoc tempus per se duplici qualitate aëris variat. Aliquando enim frigus mane est, in medio æstus, & vespere iterum frigus: aliquando mane æstus, in medio frigus, & vesperi iterum æstus. quod malum est. Quoties ergo æstus mane fuerit, multis modis læditur homo: vel quia se minus vestit, & frigus adueniẽs penetrat illum: vel quia calor aperit, & frigus ingreditur. Vnde aëre geminus dicitur autumnus. Item malum, quia materia melancholica crescit in eo tempore. Vernũ autem ideo melius dixit autumno comparatum, quia ægritudines quæ ex sanguine fiunt, leuiores alijs sunt. Et rursus, quoniam tempus temperatum est: in quo & ipsa gaudet natura.

APHORIS. IX.

AVtumnus tabidis malus est.

Sæpius Hippocrates autumnũ vituperat, tanquam si aliquis de inimico suo loquatur. Dicimus enim, non quòd vt inimicum eum vituperet, sed quòd humanis corporibus quàm cætera tempora deterior sit. Videamus quid sit phthisis, aut in quo loco afficiatur aliquis, aut quare huic autumnus malus est. Sciendum phthisin secundum Atheniẽses nihil esse aliud, nisi vlcerationem & tumorem in pulmonibus: vnde & phthisicus voca-

tur. Phthisis dicitur consumptio totius corporis, quæ fit duobus modis. Aliquando enim præcedit vlceratio, & tumor in pulmonibus nascitur, & sic fit consumptio. Aliquando verò primario fit tumor, & postea vlceratio, & sic consumptio. Autumnus autem phthisicis malus est, vel quòd siccitas siccitatem auget, vel quia innatum calorem, vnde corpus viuit, occîdit.

APHORIS. X.

QVod ad temporum attinet rationem, si hyems squalida & aquilonia fuerit, ver pluuiũ, australéq;, febres acutas fieri æstate necesse est, & lippitudines, & intestinorum difficultates: maximè mulieribus & ijs qui humidam habent naturam.

Instituit hic Hippocrates temporum qualitates permiscere, & ostendere quid ex istis euenire possit. Ait enim, hyemem vitiatam siccitate, & carere humectatione, vt dicat illam frigidam & siccam, quæ ex natura antea fuit frigida & humida. Vernum autem tempus inquit vitiari ab hyeme, vt sit frigidum & humidum, quum ex natura sit calidum & humidum. Ergo hisce temporibus vitiati sunt humores crassi ac humidi, sicut & ipsa sunt vitiata tempora. quod apparere in ipsis non potest, sed adueniẽte æstate resoluuntur, & erumpũt hæ ægritudines, febres, & dysenteriæ. Quia verò dysenteriæ mentionem fecit, dicendum est quid sit, aut vnde fiat, aut in quibus

locis consistat, aut quot sint differētiæ. Sciendum itaq; nihil aliud esse, quàm continui diuortium, id est, vlcerationem intestini, hoc enim continuum est. adueniens autem biliosus humor radit intestinum & exulcerat. Fit autem duobus in locis: in tenuibus intestinis, & in crassis. Vnde vlcera mucosa videntur deijcere. Est dysenteria hepatica & cruenta. Hepatica est ab hepate, quum rosaceum ægri reddunt sanguinem. Cruenta autem, quum ex inferiori parte fluxerit abundantia sanguinis, ex intestino maiore, diuersi coloris, nigri, subpallidi, & crassi. Sed hæc ex accidentario ita nominatur. Proprium enim dysenteriæ est, habere diuisionem continui, id est, vlcerationem. Et si ex bilioso fit humore, talis eius ratio est. Materies illa quæ per anni tempora colligitur, vitiatur calore æstatis, & fit salsa: salsedo exasperat, & vlcerationem parit. Vnde regula est, nihil aliud dysenteriam esse, quàm vlcerationem intestini. Lienteria autem fit ex conglutinatione ipsius humoris. ac dicitur in qua cibus nec retineatur, nec mutetur in ventriculo. Accidit id quammaximè mulieribus, & his qui humidi sunt, propter ipsum glutinosum humorem.

APHORIS. XI.

SEd si hyems australis, tepida, & pluuia fuerit: ver squalidū aquilētumq;, mulieres quarum partus iuxta ver properant, abortū ex qualibet causa faciēt.

Tres qualitates in hyeme fieri dicit, australem, hoc est, calidam: tepidam, hoc est tranquillam:

pluuialem,hoc eſt,humidam:vere enim dicit omnibus modis immutari naturam, vt qui fuit calidus & humidus,poſtea ſit frigidus & ſiccus. Mulieres quarum partus iuxta ver properant abortum ex qualibet cauſa facient. Sed inſpiciamus cauſam. Sciendum,quomodo ſeſe habuerit aer,ſic ſe habitura & corpora noſtra,vitiũ aeris corrumpit & obtundit corpora. ob quod matrix afficitur,quę eſt inferior pars corporis, quũq; partum ſuſtinet,os eius clauſum eſt. Quia verò aer penetrabilis adeò eſt vbique,vt quoties aliquis refrigeratur, doleat ventre & inteſtinis: quanto magis omne tempus veris ſentit celerius? Ergo dum frigus penetrauerit penitus,infans aerem frigidum ſentit,extenditq; manum aut pedem vndiquaq;, & rumpit ſecundas quæ ipſum cõtinent,& projicitur foras. Abortus enim multis fit modis,quoties mulieres aut clamant,aut currunt,aut abſtinent,aut foueam tranſiliunt.

APHORIS. XII.

QVę autem pepererint, imbecilles ac morbidos ædent infantes, ita vt aut ſtatim pereãt, aut tenues atq; valetudinarij viuant.

Si enim abortum non fecerint vitio temporis, & pepererint mulieres, fœtus aut ſtatim moriũtur,aut non vitales, morbidi,& imbecilles erunt. Vnde dicũtur naturales ægritudines,hoc eſt,iam inde ab vtero conceptæ. aliquando ſcabies, & alia quamplurima illis obueniunt, atque inde moriuntur.

APHORIS. XIII.

CAeteris difficultates inteſtinorum, & lippitudines aridæ accident. Senioribus verò deſtillationes, quæ citò interimant.

Temporibus vitiatis, ipſóque inde humore, hæ oboriuntur affectiones. Dyſenteria enim fit ex ipſo glutinoſo humore vitiato, qui in ſalſedinem conuertitur. Sed quomodo in ſene, ſi defluxio, catarrhus dicitur, ex frigido eſt humore, & ſenex frigidus natura, celerius recedit? Huic quæſtioni ita reſpondetur, quòd ipſa materies vitiata eſt calore. vnde & ſalſa effecta ſubtilior quidem eſt, & ideo celeriter recedit.

APHORIS. XIIII.

SI æſtas ſqualida aquilentáque fuerit, autumnus pluuius auſtrinúſque, dolores capitis, tuſſes, raucedines, grauedines, per hyemem exiſtunt: Tabes etiam nonnullos inuadit.

Æſtatem ſcribit aliquando poſſe à ſiccitate & frigiditate vitiari, vt relinquat calorem: Autumnum verò perdere ſiccitatem & acquirere humiditatem, hoc eſt, ſi ęſtas ſit ſimilis autumno, & ſimilis hyemi autumnus, capitis dolores erunt ex frigiditate. ſicut & tuſſis, & raucedines, ex eo tēporis vitio fiunt. grauedinem verò nunc pituitam dicit, quæ meatibus colatorijs obſtructis fit.

APHORIS. XV.

AT ſi aquilonius ſit & ſiccus, viris

natura humidis,& mulieribus proderit: reliquis accident lippitudines aridæ, & febres acutæ, & grauedines: nonnullos etiam atra bilis vrgebit.

Aquilonium dicit frigidum & ſiccum, qui cõuenit mulieribus, & viris natura humidis, quia ſiccitas humiditati cõtraria eſt. ergo alijs, id eſt, qui nõ ſunt humidæ naturæ, lippitudines aridas facit. febres etiam acutas ſiccitas parit: & grauedines ex frigiditate fiunt. Item atram bilem excitat, & ideo diuturna erit ipſa propter hoc, quia vẽtus hic frigidus & ſiccus eſt, ſicut & illa ex qua fit melancholicus. Naturaliter enim atra bilis frigida eſt & ſicca.

APHORIS. XVI.

CONditionum anni ſqualores (quod in totũ dixerim) ſalubriores quàm imbres minúſque mortiferi ſunt.

Si temporũ annua ſiccitas fuerit, ſalubrior erit, quia minus inficiuntur corpora, & magis deſiccantur: vel ſi ægritudines ipſo anno natæ fuerint, non ſunt malæ.

APHORIS. XVII.

MOrbi per imbres magna ex parte conſiſtunt, febres, alui fluores, putredines, attoniti, comitiales, anginæ.

Magna ex parte, dicit, febres prolixæ ideo fiũt, quia humectatio aëris cõſtipat ſuperficiẽ, & euaporari calor nõ poteſt, ſed magis geminatur. Fluxus alui ex humiditate fit, quia humida reſoluũt.

Putredines nutriuntur humido, vt quod plus putrefaciat quàm siccum. Comitialis morbus nunc ex humiditate fit. apoplexia eodem modo, sicut & angina.

APHORIS. XVIII.

PEr squalores, tabitudines, lippitudines, articulorum dolores, stillicidia vrinæ, difficultates intestinorum, fiunt.

Siccum tempus lippitudines aridas facit. Sed quomodo articularis morbus in sicco tẽpore fit, qui ex humido humore est? Huic quæstioni ita respondendũ, quia morbus ille multis modis contrahitur, ex humore, & siccitate. & deinde, quia vitiũ hoc alterius tẽporis est. Dysenteria enim ex ipso tempore est, Stranguria verò ex siccitate fit.

APHORIS. XIX.

COnditionum quotidianarũ, aquilones corpora constipatiora, contentiora, mobiliora, coloratioráque faciũt: auditum etiam adiuuant, sed aluum siccãt, oculos mordent. & si in pectore dolor aliquis præest, acrius excitatur.

Aquilonem hic commẽdat antè reprobatum, sed hoc nomine quòd condenset corpora, hoc est, confirmet. vnde facit homines fortes, & facilitatem auditus, desiccans humiditatem cerebri. Colores enim ideo bonos facit, quia desiccat humida, desiccatis excitat calorẽ, & rubicundi efficiũtur homines. Quæras fortè, quomodo duo contraria operẽtur in vno tẽpore, vt ventres siccen-

tur, & oculis lachrymæ oboriantur. Quod ita accipiendum. Siccitas ventrem constringit, sicut & in febricitantibus. Ipsa quoque siccitas interiora premit & lachrymas excitat. Sicut spõgia, si plena fuerit supra modum, destillat: si mediocriter, continet: quæ si in manũ viri fortis detur, humorem reddit. Dolores laterum facit & pectorum, quia semper in cõcauitatibus dominatur hic ventus. Exempli gratia, Si quis in cõcauitatibus steterit, inter duo hostia, amplius illi vẽtus obuenit. vnde & in vallibus magis spirat. Si antea fuerint dolores in pectore, quamuis mediocriter spirauerit iste ventus, tunc increscunt dolores illi.

APHORIS. XX.

AVstri corpora dissoluunt & humefaciunt, caput aggrauãt, auditum obtundunt, vertigines mouent oculis, & corporibus afferunt tarditatem, aluos etiam humefaciunt.

Naturam australium repetit, eò quòd per eos plura incommoda fiant. Natura verò ipsorum calida est & humida, & dissoluũt corpora: sicut marmora videmus resudare in tali aëre, & cætera quę in terra sunt. His contrarius est septentrionalis, eò quòd ab illis omnino qualitatibus cõtrarijs recedat. Quantum ergo septentrionalis desiccat, tantum auster humectat. Capitis itaq; grauedinem auster facit, quia cerebrum nostrũ frigidum est & humidum. Humectatio aëris, humidum auget, vnde parit grauedinẽ. Vnde & auditum obtundit, hoc est, difficilem facit, Vertiginem verò

in oculis affert, quia ſicut vẽtus ſeſe eleuãs & pulуerem in ſublime rapiens circuitũ molitur: ſic & vertici noſtro arteriæ & venæ ventos ex reſoluta humectatione miniſtrãt, & tũc oboritur in oculis girus, & videtur eſſe vertigo. Hinc corpora ex his humectantur, quia humida humidis reſoluuntur.

APHORIS. XXI.

PEr tempora anni, pueri & qui ætate his proximi ſunt, vere atq; prima æſtate optimè degũt, & maximè valent.

Oſtendit Hippocrates duo tempora, & duas item ætates, inquiens, in fine veris, & initio æſtatis, pueros & iuuenes bene valere. Videamus quare. Nimirum quia ver vbi finem habet, æſtas incipit. Sic finita ætate puerili, iuuenilis initium habet, congruæ ſunt ætates ad tempora. Simili modo humores ſuaues periculũ facere non poſſunt. Item bene valent, quia etiam ſi ægrotent, citò finiuntur ægritudines eorum.

APHORIS. XXII.

SEnes æſtate & autumno aliquãdiu, reliquo autumni tempore, qui media ſunt ætate melius valent.

Sicut iuuenis & puer in ſuo tempore ſani ſunt, ſic qui tranſeunt à iuuentute in ſenium, fine autumni & initio hyemis ſani ſunt: quia ſicut tempus eſt, ita & ætas.

APHORIS. XXIII.

MOrbi omnes quidẽ temporibus omnibus accidunt, ſed nonnulli

certis quibuſdam & oriũtur & irritãtur.

Hoc docet in præſenti, omnes ægritudines in omnibus fieri temporibus. Tamen qui in tempore ordinatim fiant, paulò inferius eſt dicendum. aliter: Omnes ægritudines dicit in omnibus temporibus, hoc eſt, in continuatione temporum fieri, id eſt, non omnes in ſingulis temporibus, ſed aliquas in aliquibus.

APHORIS. XXIIII.

VEre enim atræ biles, furores, comitiales, profuſiones ſanguinis, anginæ, tuſſes, grauedines, raucedines, lepræ, impetigines, vitiligines, puſtulæ vlceroſæ plurimæ, tubercula, articulorum dolores.

Suprà Hippocrates cõmiſcuit tempora, æſtatem, hyemem, & autumnum, cum vere: & docuit quæ potuiſſent euenire ægritudines, quod in ſuperioribus probè explicatum eſt. Nunc quoque conatur oſtendere quid ſecũdum ſe faciant tempora. Sed antè quàm incipiamus, quæramus de vere, cur dum ſæpius illud laudaſſet, & præpoſuiſſet cæteris temporibus, nunc tantas taléſq; ægritudines in ipſo fieri denũtiet. Huic quæſtioni reſpõdendum eſt audacter. Omnia non eſſe ex eodem tẽpore, ſed ex alijs etiam hic prodire. Quod enim colligitur in autũno & hyeme, vere ſe prodit. Nam craſſa calor veris reſoluit, & ſuggerit ægritudines non ſolum ex poſteriori, ſed etiam præcedẽte tempore: quia vnum tempus duobus

finitimum eſt, vt veris initium propinquum eſt hyemi, finis autem ipſius, æſtati. Ergo proprium non habet niſi vnum menſem, qui in medio eſt conſtitutus. Sic & æſtas, & omnia quatuor tempora. Vbi enim finitur æſtas, autumnus incipit: vbi verò autumnus finitur, hyems exorditur: vbi hyems terminatur, ver initium habet. Videamus ergo quæ ægritudines ſunt ex autumno, & quæ ex hyeme: & quæ æſtate, quæ vere prodeunt. Et quæ proprię veris ſunt? Inſania, morbus comitialis & melãcholia, quia ex atrabilari materia fiũt. Sed ſi ex vna ſunt materia, vnóq; loco, quomodo differentes ſunt hæ paſſiones? Huic quæſtioni ita reſpondemus. Omnis læſio tribus modis eſt, aut nimia, aut media, aut maxima, ſicut nunc ex vna materia ſunt tres affectus, & ab vno principio, ſed diuerſis locis. morbus comitialis in imaginatione, melãcholia in ratione, inſania in memoria eſt. Sed cur non magis inſania in ratione, quàm in memoria? Quia ratio memorię miniſtrat. Dicitur enim illud maius eſſe, quod congregatur in memoria, quàm quod in ratione, ideo fortior lęſio eſt in memoria: quãto ergo imaginatio minor eſt illis, tantò habet minorem offenſam morbus comitialis. adeò vt aliquibus poſt duos mẽſes, aliquibus poſt ſex eueniat: ſi tamen ſe bene gerant, etiam poſt vnum annum. Melancholia enim fortior eſt morbo comitiali: nam quotidie commouetur, quum rationẽ obtinet. Inſania remiſſionem non habet: ideo & demẽtes ſemper ſunt: omnes tamen tres principia occupant cerebri. Sãguinis verò fluxus ex verno eſt tẽpore. Itẽ angina, & quæ ẽ ſangui-

ne fiunt:grauedo verò ex hyeme eſt,quæ è craſſo humore naſcitur, quum meatus narium colatorij obſtructi ſunt. Raucedines ex humectatione ſanguinis fiunt,adeò vt quicquid humidi ædiderit, ſonitum non reddat. Tuſſis ex hyeme eſt. Lepræ & impetigines ex ſanguine pituitoſo oriuntur, hoc eſt, pituita ſalſa. Lepra enim dicitur quũ in toto corpore excoriatio fuerit, & inflammationes, in circuitu ſquamæ, & in medio rubor. Atque hæc ex hyeme prodeunt. Vitiligines dicit,quæ aliquando ex pituita,aliquando ex melancholico humore fiunt. Item puſtulas dicit,vt eſt putredo & ſcabies quæ ex ſanguine & melancholico humore eſt. Articulorũ dolores ex hyeme ſunt,qui ex pituitoſo humore contrahuntur.

APHORIS. XXV.

ÆState nonnulli ex his, ac febres continuæ & ardores, & tertianæ plurimæ,vomitiones etiam,alui profluuia,oculorũ & auriũ dolores, oris vlcera,genitalium putredines, & ſudamina.

Æſtate enim accidũt aliqua ex vere,aliqua ex æſtate, vt ſunt febres acutæ. Continuæ enim febres ſunt,cauſon,& ſynochus, & cõtinua febris. Cauſon enim incendiũ dicitur. Fit ex bilioſo humore alijs intermixto. Item tertianæ hoc tempore potiſſimùm ſubnaſcũtur:adhæc vomitus. Alui profluuia ex bilioſo humore ſunt, qui ad excretionẽ titillat. Oculorum item dolores ex illa materia conſtituuntur, vnde & ſicci ſunt. Tum aurium dolores,quia per has excrementa feruntur,

& dum crassa fuerint obturationem faciũt. Oris autem vlcera ipsa acredo biliosa concitat. Putredines genitalium adiunxit, quia loca sunt calida & humida, superueniens illis biliosus humor celeriter putrescit. Sudamina hoc tẽpore plurimum erũpunt, quia biliosus humor celeriter euaporat.

APHORIS. XXVI.

AVtumno, magna pars æstiuorum, atq; etiam febres quartanæ & erroneæ, lienes, aquæ inter cutẽ, tabes, stillicidia vrinæ, lęuitates intestinorum, coxendices, anginæ, anhelationes, voluuli, comitiales, atræ biles, furores.

In fine æstatis, & autumni initio febres fiunt quartanæ. Nam aliquando ex bilioso perusto fit melancholicus, vnde contrahitur quartana. Erraticæ autem fiunt febres, quia aëris qualitas dupliciter euariat. Hydrops quoque à liene fit, quum ignari medici tumorẽ in splene deprehendentes, dicunt se posse illum per cataplasma resoluere, ille in aquam conuertitur, & fit hydrops. Phthisis verò ex ipsius temporis siccitate & frigore contrahitur. Stillicidia vrinæ sunt, quum aliquis guttatim mingit. vnde dicitur Græcè στραγγουρία. fit autẽ ex frigore ipsius tẽporis. Lienteria quoque, hoc est, læuitas intestinorũ, ex glutinoso humore & hyeme contrahitur. Coxendix ex pituita fit, quum descendit per recta ossa in cõmissuras, & fit ibidem cõglutinatio. idq; ex hyeme est. Angina ex pituita nascitur, sicut & anhelationes. Voluulus dicitur affectus, qui propter vehemen-

tiam doloris tale accepit nomen. Fit autẽ pituitoſo humore reſoluto in flatus, vnde aliquando torquetur inteſtinũ. Morbus comitialis, inſania, & melancholia ex ipſo tempore fiunt. Articulorũ dolores ex pituitoſo humore fiunt, quod etiam eſt ex hyeme.

APHORIS. XXVII.

HYeme, coſtales, pulmoniæ, grauedines, raucedines, tuſſes, dolores laterum, pectorum, lumborum, dolores capitis, vertigines, attoniti.

Pleuritis multis modis cauſisq́ accidit: aliquando ex calore, aliquandò ex frigore. Vnde aliquibus ſanguinem dimittimus, aliquibus non, alijs lanam oleo calentẽ imponimus, vt æſtate, quando fit ex bilioſo humore, qui adurit membranam illam coſtas ſuccingentem, vbi fit propriè pleuritica affectio. Aliquoties medicamina calida & vnguentà adhibemus, vt in hyeme, quum fit ex frigido humore. Bilioſus adurit & tumorem facit, pituita aggrauat, ac per hoc vtraque tumorem faciunt: Tumor extendit membranam illas coſtas integentem, & confricatur ad latera, quæ pleura dicuntur, vnde & pleuriticus morbus eſt nũcupatus, dolores autem graues facit, quia molle cum oſſibus confricatur. Raucedo quæ Branchos dicitur, id eſt, præfocatio thoracis, fit ex pituita. Item tuſſiculæ, & laterum, & pectorum, & lumborum, & capitis dolores omnes inde cõtrahuntur. Sicuti & apoplexiam diximus originem ex pituita habere.

APHORIS. XXVIII.

PEr ætates hæc accidunt, paruis & recens natis puerulis, vlcera oris, vomitus, inſomniæ, pauores, inflammationes vmbilici, humores aurium.

Exequutus temporum rationem, ad ætates deſcendit, oſtenſurus, quæ in quibus ætatibus euenire poſſint ægritudines. Sed quũ ſæpius de ætatibus loquutus ſit Hippocrates, nunquam talem definitionem ætatum dedit, qualem nunc. Nam ſæpius ſex definiuit ætates, nunc mutato ordine plures enumerat, adeò vt ab his qui recens nati ſunt, incipiat diſputare. Sed quæſtio nobis eſt, vtrum de pueris tantum dicat, an de puellis. Sed nunquã reperimus de puellis eum diſputaſſe. Dicimus verò, quia quũ omnia corpora noſtra medicinæ ſubiecta ſint, vtique de puellis ſimul cum viris diſſerere. Ponit autem vomitus, iactationes manuum, & vigilias. Sed quomodo vigilias in infantibus nuper natis adducit, quum ſomnum ex frigiditate & humectatione fieri dicat? Infantes autem tam ſunt humidi, vt & oſſa humentia habeant. huic quæſtioni reſpondemus: Multa in vnum conueniunt, vt è contrario vigilias patiantur. Sciendum infantem ab vtero per vmbilicum pendere, per quem & nutritur, & dum recens æditur multis patet iniurijs: primò, quia abſcinditur illi vmbilicus: ſecundò, quia ab aëre vexatur: tertiò, quia aduenietes mammæ aperiunt illi os, recens ſuſcipit palatum, recens ventrem, recens virtutes operatrices. Hæc omnia de nouo ſuſce-

pta exacerbationem præstant, vt vmbilicus dolorem, dolor vigilias faciat. Vomitus patiuntur propter copiam lactis ingesti: Iactationes manuũ propter frigiditatem aëris. Vnde & colligantur à nutricibus. Idq; triplici de causa: Vna, vt directæ sint manus & pedes: altera, ne iactitantes cõtorqueantur: tertia quoque, vt constricti ab aëre minimè corrumpantur. minimè enim corrupti minus dolent. Aurium humorem patiuntur, quia paruum nutrimentum accipiẽtes, totum ad con coctionẽ naturæ transferunt, in cerebro verò cõcoctio obitur, quum in aurium cauernis quatenus nouitas sinit, pinguis inuenitur materia, quæ in duritiem concocta, tumorem aurium facit, vnde humores procreantur. Dicimus enim ipsum lac quod accipiunt cõcoctioni magis proficere quàm excretioni. Ideóque humoribus ministratur, qui adhuc indigent.

APHORIS. XXIX.

PAulo ætate progrediẽtibus, quum dentire incipiunt, gingiuarum pru rigines, febres, conuulsiones, alui fluores, maximè quum caninos ædunt, & ijs potissimum pueris, qui corpulentissimi sunt, & aluos habent astrictas.

Discedens ad aliam ætatem quæ est à septem mensibus vsque ad annum, ait, dum dentire incipiunt, affectúsq; commemorat. Et quoniam nobis sermo de dentibus ortus est, videamus quot sunt dentes, vtrum nascantur, an insint naturæ, & vtrum ossa sunt, aut quid sunt, si ossa nõ sunt,

quare cadant & renaſcantur, aut quot differētiæ eorum exiſtant, aut aliqui eorum quomodo nuncupentur. Sciendū, dentes oſſa eſſe, qui propterea non apparent dum natus fuerit infans, quòd inter gingiuas ſunt. & tale quidē accidit iſtis, quēadmodum caballis, dum ordeū adhuc comedūt. pòſt enim dum creuerint, dētes erumpunt: vnde & aliqui eorū cum dentibus naſcuntur. Differentiæ dentium ſunt tres. Anteriores, inciſorij nūcupantur, quia omne quod aſſumitur, ipſi primùm incidūt, ideo debiliores ſunt radicibus, vt qui primum egrediantur, & quantò infirmiores radicibus, tantò & ſuperius ſubtiliores. Ab his, canini vocantur quatuor numero, duo in dextra maxilla, & duo alij in ſiniſtra. dicti autem quòd canes ipſorum præſidio oſſa frangunt. Sic itaque in hominibus eſt: quod inciſorij non poſſunt rumpere, illis traditur vt confringant. Poſt ipſos ſunt molares, qui inciſa atque confracta ſubigunt, & molliunt. Hi poſtremi naſcuntur. Ideo autē renaſcūtur dentes, quia à radicibus remittūtur. ſicut ſæpe in arboribus videmus, quū abſciſa talea, à radicibus germinant frutices. Videamus ergo quomodo pariant gingiuarum prurigines. Nimirum, quoniam ex alto pungūt ſuperficiem, titillatum excitant, febres aliquando inde naſcuntur. Spaſmum dicimus duobus modis fieri, aut ex repletione, aut ex inanitione. Nunc ex repletione eſt, quia febres reſoluunt craſſam materiā, faciūtq; tumeſcere muſculos. ſolutio enim ventris ex febre fit. Maximè iſta patiuntur, quando caninos eijciunt dentes, quia maiorem excitant dolorem.

& pueri qui crassi fuerint, ventris constrictionem patiuntur, propter ipsam crassam materiam.

APHORIS. XXX.

ADultioribus iam, tõsillæ, vertebræ in occipitio, siue luxatio in partẽ interiorem, anhelationes, calculi, lumbrici teretes, ascaridæ, verrucæ, satyriæ, strumæ, & reliqui abscessus, sed præcipuè quæ enumeraui.

Digressus hinc ad aliam ætatem se cõfert, scilicet, mediam inter pueritiam & pubertatẽ. Tonsillæ ex pituitoso humore fiunt, quia in ista ætate iam comedunt incompositè, & minus exercitãtur, & propter hoc crassos nutriũt humores. Vertebræ in occipitio vigintiquatuor sunt in nobis, sex ceruicis, & duodecim spinæ, & sex renũ, quorũ nomina & ratio in anatomicis dicta sunt. Ceruicis vertebræ in ista etate interius ingrediuntur, & mouent præfocationem & anhelitum. vnde & in angina cucurbitulas ceruici apponimus. Intus autem ideo, quia nouiter ad sarcinas applicãtur, & tenues sunt, & ideo intus merguntur. vnde & tũc in ceruice nihil possunt ferre. Deinde crassus humor resoluit illos, introꝗ; inclinat. vnde & luxatio ipsa affectio nũcupatur. Calculos petras dixit, quæ in vesica fiunt, ex ipsa materia pituitosa. Lumbricorum verò tres sunt differentiæ, ascarides, qui sunt similes cucurbitæ seminibus, rotũdi, alijꝗ; longi: qui etiam quatuor cubitorum longitudine reperiri solent. Hæc ergo sunt corpora animata in corpore, quæ ex humoribus nascũtur.

Sed loci qualitas facit vt alij ſint rotundi, alij longi. Quare autem non dixit aſcaridas omnes? quia ſuis differentijs inter ſe ſeparantur. Aſcarides autem vocati, ex melancholia naſcuntur: qui rotundi, ex bile rufa procreantur: longi ex pituita ſunt. Verrucæ verò ſingulatim ſunt: ſatyriaſis vna excellens, & circa ipſam plures inueniuntur, tamen vtræq; ex pituita fiunt. Struma eiuſdem humoris congelatio eſt: reliquiq; abſceſſus, vt ſteatomata, ganglia, inde contrahuntur.

APHORIS. XXXI.

ADoleſcentibus iam & puberibus, magna eorum pars accidit, atque etiam febres diutinæ potius, & ſanguinis è naribus profuſiones.

Confert ſe ad aliam ætatem, quæ iam ad iuuẽtutem tendit. hoc enim de adoleſcentibus & puberibus dicit. Nempe febres acutas ipſis oboriri: ac id, quia ſanguis in ipſis abũdat, & pituita. Sanguinis enim fluxus ex copia humoris accidit.

APHORIS. XXXII.

PLurimi verò affectus puerilis ætatis, iudicantur aut intra quadrageſimum diem, aut intra ſeptimũ menſem, aut intra ſeptimum annum, aut quum ad pubertatem itur. Qui autem perdurarint, nec ſolui potuerint pubeſcẽti, aut fœminæ quum menſtrua erumpunt, ijs conſeneſcere aſſolent.

Ostẽdit Hippocrates suprà dictarum affectionum iudicationem, atq; solutionem. Dicit enim, aliquas intra quadraginta dies iudicari, vt pleuritidem in peripneumoniam cõuersam: alias intra septimum mensem, vt quartanam: alias intra nouem menses, vt morbum comitialem in infantibus: alias intra septimum annum, vt morbum comitialem in iuuenibus. Quæ enim his non finierint temporibus, cum ipsis consenescunt. quæ vsque in immutationem alterius ætatis perseuerãt, si puellæ fuerint, per menstrua soluentur: si iuuenes, per sanguinis fluxum. & mutatione ætatis aliquando iudicari solent.

APHORIS. XXXIII.

IVuenibus sanguinis screationes, tabes, febres acutæ, comitiales, & reliqui morbi, sed prçcipuè quç enumeraui.

Inde ad iuuenes transgreditur. Iuuenibus, inquiens, sanguinis screationes oboriuntur. Nam is potius ipsis abundat. Phthisis quæ cõsumptio dicitur, iuuenibus celeriter euenire solet. Febres acutæ ex bilioso humore fiunt. Morbus comitialis vitio alterius humoris est: & aliæ similiter ægritudines, quæ in istis eueniunt ætatibus.

APHORIS. XXXIIII.

QVi hanc ætatem excesserunt, ijs anhelationes, capitis dolores, costales, pulmoniæ, obliuiarij, deliria, ardores biliares, alui fluores longi, choleræ, difficultates intesti-

norum, læuitates inteſtinorũ, mariſcæ.

Hic exequitur ætatem quæ iuuẽtuti ſuccedit, atq; hæc ei dicit accidere. Cephalæa fit ex bile in ſtomacho contenta cum flatu, cuius fumus petit cerebrum, & dolorem capitis facit. Pleuritis & peripneumonia quammaximè ex pituita fiunt. Peripneumonia eſt affectus pulmonum peracutus. Lethargus & phrenitis affectus ſunt cerebri. Sed lethargus à phrenitide differt: quòd ille ex pituita fit, & cũ oppreſſione cerebri grauem ſomnum inducit: Hæc autem aliquando ex bile fit, vt dementia ſequatur, & exagitatio incõpoſita. Cauſon autem ardens febris ex bile naſcitur. Cardiogmus quoque dicitur ſtomachi vitium, licet nomen à corde habeat, quod nunquã afficitur, membrana autem ſeu inuolucrum ipſius & tumore & dolore afficitur. Cor autem ipſum nunquam patitur, quia duas aures habet, vnde egrediũtur duæ arteriæ. Illa quæ in ſiniſtram partem vadit plus ſanguinis habet, ideóque ex ipſa parte venam incidimus: illa verò quæ in dexteram, plus ſpiritus. Vnde & in dextera manu pulſum tãgimus. Alui fluores ex eadem cauſa proueniunt. Item cholera fit quum ſuprà infráq; bilis erumpit: & ab humore affectus nomen accepit. Difficultas inteſtinorum bilioſum quoq; humorem comitatur. Læuitas inteſtinorum, oritur ex glutinatione inteſtinorum, & debilitate contentiuæ virtutis. Mariſcæ ſunt venæ quæ egrediuntur ab hepate, & veniunt per dorſum deferentes melancholicũ ſanguinem. Ergo hæc in iſta ætate fiunt quammaximè, vbi melancholicus humor abundat.

APHORIS. XXXV.

MAioribus natu, difficultates ſpirandi, diſtillationes, tuſſes, ſtillicidia vrinæ, difficultates vrinæ, articulorũ dolores, renum dolores, vertigines, attoniti, mali habitus, aſpredines totius corporis, inſomniæ, alui, oculorũ, & aurium humiditates, hebetudines oculorum, glaucomata, grauitates aurium.

Hucuſque Hippocrates ætates videtur perſequi. Hæc enim quã modò ponit vltima eſt. Sciendum itaque calorem naturalem in ſenibus minimè vegetum eſſe, quum frigidam & humidam habeat materiam. Eóque tales in ipſis naſcuntur affectus, difficultas videlicet ſpirandi, quæ nimirum ex frigida materia conſtituitur: & ſicut araneæ intexunt telas, ita & intra arteriarum confinia fit obumbratio, vnde difficultas illa contrahitur. Diſtillatio & tuſſis eadẽ fiunt materia. Item ſtillicidia vrinæ, quæ guttatim emittitur, & difficultas vrinæ eodem modo gignuntur. Porrò articulorum dolores, & renum dolores ex pituita quoq; proueniunt. Vertigo autem quo modo fiat, aut ex qua materia, ſuperius dictum eſt. Apoplexiam etiam docuimus originem ex pituita habere, vnde & nunc fit. Malos habitus in ſenibus quammaximè reperimus. Tum aſpredines totius corporis, ex ſalſa pituita, quæ ſuperficiem petit, proficiſcuntur. Sed cur vigiliæ torquent hanc ætatem, quum ſomnus ex humectatione fiat, &

ſeniores humidi ſint natura? cur vigilijs, & non magis ſomno afficiuntur? Quibus reſpõdendum eſt: Seniores, vigilias propter indigentiam patiuntur: humidi quidẽ ſunt, ſed humectatio partium in ipſis iam diminuta eſt. Nam ex humiditate fit ſanguis, quando mediocris fuerit. Ventris autem ſolutio, aut qualitate fit, aut quantitate. Qualitate ciborum, quũ concoctio expeditè obitur. Quãtitate humorum, quum ex ipſorum glutinatione fit. Hic autem ex ipſa conglutinatione humoris fit. Item oculorum & narium humiditas quammaximè in ſenibus eſt, quia quicquid humidum eſt ſemper decurrit. Hebetudo oculorum per ætatem accidit. Glaucomata accidũt, quoties quatuor tunicæ oculorum humectationem perpeſſæ fuerint, & opticus neruus apertior fuerit, & in tertia tunica infixus. Vnde procul nihil vident, propè autem vident. Grauitas quoq; aurium ex eadem fit materia.

LIBER QVARTVS.

APHORISMVS I.

MVlierem vtero gerentē purgabis medicamento, si materia turget, quarto mēse, & ad septimum vsque, sed eas minus: à recētiore autē & auctiore cauebis.

Huc vsque tertia particula durat, in qua Hippocrates tam ventorum, quàm temporum, ætatum, & ægritudinum nobis certam manifestauit rationem. Nunc incipiens quartam, de grauidis sermonem instituit. Quum verò de purgationibus diceret, quæ sunt tam virorũ quàm mulierum, bene mulieres grauidas introduxit. dicturus enim de earũ purgationibus est, quarũ corpora similiter viris medicinæ subiecta sunt. Et quia per omnia doctum voluit esse medicum, hoc addidit, vt dum repererit grauidas laborare acuta ægritudine, ipsis valeat succurrere. Et præcipit à quatuor mensibus vsq; ad septem fieri purgationem: à septimo autem vsque ad nonũ, & donec enixa fuerit, non item. Quæras hic, cur à primo vsque ad quartum mensem, & à septimo vsq; ad nonum, purgationem nolit dari, sed in medio iubeat. Nimirum, quia subtilis est adhuc ipsa seminis coagulatio. In medio autem iubet fieri, quando iam veluti confirmatum est semen. In vltimo verò non iubet fieri, propter quãtitatem. quia & venæ & arterię plenæ sunt, & matrix iam nimiũ

repleta est, adeò, vt si vel graues odores senserint, ipsa substantia deponatur. Videamus quo modo fiat conceptus, aut quid prius in vtero fingatur. Conceptus autem fit ex semine viri & mulieris post purgationem conueniente simul in matrice. Sed matrix multa habet membra, habet labia, habet collum, habet pectus, habet latera, habet fundum. Quæ est similis cucurbitæ medicinali. Nam non est similis matrix matrici cæterorũ animalium, vnde aliquando genitale viri sugit adeò. Nam mulieres quæ volũt viros suos deludere, diaclysmare se faciunt, & matrix suo calore & flatu, ad se illud trahit. Et tale quid naturæ ipsius accidit, quale ceruo, qui apposita nare ad orificium foraminis vbi est serpens, flatu suo extrahit illum. In vtero autem fingũtur prius venæ & arteriæ. Sed quomodo, dum venæ ab hepate sunt, arteriæ à corde, & principium per se non habẽt, fieri potest, vt ea quæ à principio procedunt, antea sint? Pone esse hortum vbi cupit paterfamiliâs holus procreari, considerat autem locum esse aridum, & æstate superueniẽte ea quæ ibi ponũtur arefiunt. Et quid tunc? Pone esse foueam ante hortũ, vnde aquam deducit per fistulas, sed prius aquam colligit fouea in vnum, qua collecta dirigit eam per fistulas ad hortum. Sic itaq; & natura in conceptu prius arterias & venas molitur. at vbi venerit ad principia sua, habet per quod deportari possit, in toto corpore ad vnumquemque locum. Nam in vtero venæ venis, arteriæ arterijs iunguntur. Vnde Hippocrates cautè purgari præcipit.

APHORIS. II.

IN medicamentorum vſu ſi talia ducuntur ex corpore qualia vel ſponte exeant, vtile eſt: ſi contrà, cohibendæ ſunt.

Spõte dicit, ex natura. Vult autem vt medicus conſideret, qualis in aliquo abũdet materies. Aut ſi antea ventris fluxũ pertulit, aut purgationem, vt ad ipſum humorem abundãtem offerat auxilium. Quod enim contrarium eſt, cohibere iubet, id eſt, non purgare.

APHORIS. III.

SI quale purgari oportet, tale purgatur, prodeſt, & facilè fertur. Si contrà, difficulter.

Id dicit, Si purges qualia dominantur naturæ, facilè fertur. Et quando ſciam facilè ferre, & tolerare? Nimirum vbi ceſſauerit affectus. Si autem aliud purges, quàm quod dominatur, congruum non eſt.

APHORIS. IIII.

ÆState potius ſuprà, hyeme infrà, ducendum medicamentis eſt.

Superiora dicit eſſe purganda ęſtate, inferiora verò hyeme. quia æſtate bilioſus humor creſcit, qui leuior cæteris eſt, & ſuperna facilius petit duobus modis: vno, quia ad ſimilem ſibi cõfugit aërem: alio, quia leuior eſt, veluti oleum, quod ſi volueris in vinum mittere aut in aquam, ſemper ſupernatat. Sic & bilis æſtate ſuperiora

petit, Hyeme verò quum pituita abundat, inferius illa purgari iubet. quia omnis calor naturæ, hyeme inferius est. Deinde quia crassa, inferiora melius petunt. Nam sursum si volueris prouocare, multis modis lædit, vno, quia conturbatur natura: & alio, quia ad peregrina loca non venit: deinde, quia debilem reddit virtutem. Nomine verò hyemis significat etiam ver & autumnum.

APHORIS. V.

SVb cane & ante canem medicamentorum vsus difficilis est.

Videamus quid sint caniculares, aut quare Hippocrates ante ipsos & post dicit, non autem in medio. Canis est stella quę syrius dicitur, quę adueniens æstiuis mensibus, penè in medio centro cæli est. Sol verò ad eadem ascendens loca, super verticem nostrum est hoc tempore. Et tale quidem natura patitur tunc, quum est caniculæ subiectus, quale scuto supposita lucerna: quam si sub scuto posueris, siue ad labium, siue in medio, semper scutum super ipsam est. Canicula ergo quæ est pestifera, à sole subiecto inflammata, terram calore reuerberat, & suis vaporibus inficit. Nam terra cælo veluti punctum est. Ergo in eo tempore sol in ipsa lineamenta ascendens, id est, in quatuor, quæ sunt inter tria & tria, vnde oriũtur venti, & sol, solstitium facit, & canicula fricatur cum sole ipso, & calor eius eo duplicatur, quemadmodum æstus, & dissoluuntur corpora & euaporantur: quia calor ad similem sibi aërem confugit. Vnde eo tẽpore molestæ sunt purgationes. An-

tè & pòst dixit esse periculũ,duobus modis,vel vt subintelligas in medio mortẽ,vel quia philoso phi extrema attingunt,vt media subintelligãtur.

APHORIS. VI.

MAcilentos ad vomitũ faciles pur gandos suprà curabis, cauendo hyemem. Qui autem ad euomendum difficiles sunt,& corpore mediocriter cõ stant,infrà purgabis, cauendo æstatem.

Macilentos dicit eos qui graciles sunt, qui biliosa abundant materia.Et his si quando consuetudinem habuerunt antea vomere, quum causa exposcit purgationem æstate, tunc superiora iubet purgari,multis modis: vno,quia consuetudo fuit vomendi:alio,quia facilius hoc fuerit in æstate:tertio,quia sunt macilenti,qui bile scatẽt.Difficile autem vomentes, & qui mediocriter crassi fuerint,hyemis tempore expedit inferius purgari magis quàm superius: partim quia crassa materia inferiora bilis petit:partim quia non est cõsuetudo vomendi:tertio,quia nec tẽpus cõuenit.

APHORIS. VII.

TAbidos caue vnquam ad supernas ducas euacuationes. At verò atra bile commotos plenius infrà:eadémque ratione contraria afferes.

Tabidos dicit phthisicos,hoc est,tumorem habentes in pulmonibus:qui si purgationem exposcunt, inferius iubet purgari, sicut & melancholicum humorem qui propter frigiditatem suam

inferius vergit. Sed poterat superius purgari, nisi frigiditas eum retraheret.

APHORIS. VIII.

IN valde acutis die primi vacuãdum est, si materia turget. Supersedere enim in eiusmodi, malo est.

In valde acutis quæ vsque in quartum diem durant, vt est angina, aut apoplexia, primo die purgatio debet fieri. Si morari volueris, malum est, quia morbus non expectat.

APHORIS. IX.

QVibus tormina circa vmbilicũ fatigant, & labor atque lumborum dolor infestat, nec medicamento, aut vllo alio modo solui cruciatus potest, ijs in aquam inter cutem siccam decumbitur.

Hippocrates per omnia doctũ voluit esse medicum, tanquam augurem. Hic enim nisi præsentia, præterita, & futura prænuntiauerit, non meretur laudem. Huiusmodi ergo medicum voluit esse, vt affectus quos in tempore non potest purgare, prædicat in quas vertãtur ipsi ægritudines, sicut & nũc docet. Si quis dolorem patiatur vmbilici, & lumborum, & multo tempore non soluuntur, omnibus illis adhibitis præsidijs, & quæ legit, & quæ à magistro didicit, & nihil proficiatur, tunc prænuntiare debet hydropem. Interroges Hippocratem: Quũ hydrops siccus nũquam fiat, nisi hepar pertulerit, aut affectum simul fue-

rit, adeò, vt nihil aliud ſit hydrops ſiccus, niſi penuria ſanguinis, qui per hepatis venas miniſtratur, quomodo per vmbilicum læſum poſſit fieri, qui ſub diaphragmate eſt, & quomodo afficiatur hepar, aut condoleſcat. Hoc reſponſum habeto, quia flatus ipſe redundat in iecore, fit eius conſenſus, vnde naſcitur hydrops. Vt autem hydropem ſiccum dicat qui aquæ repletio eſt, intelligendum tres eſſe hydropicorum differentias: Aſcitem, qui vtris modo aqua repletus eſt: alium hypoſarca, qui totus tumet. Sarx enim græcè dicitur caro: Tertium tympanitem, cui venter tinnit, vt tympanum, qui minor eſt alijs: quem ideo ſiccum poſuit, quia quammaximè ex flatibus contrahitur.

APHORIS. X.

QVorum alui læuitate inteſtinorũ infeſtãtur, hyberno tempore, eos ſuprà purgare malum eſt: infrà, bonum.

Læuitatem inteſtinorum dicimus ex glutinoſo fieri humore: ergo dum iuuenẽ talis cauſa exigit purgari, purga inferius: quia glutinoſa eſt materia, quæ infrà decurrit. Et hyemis tempore per inferiora iubet purgari. Nam ſi id per ſuperiora tentes, malum eſt.

APHORIS. XI.

QVi nõ de facili ſuprà veratro purgantur, eorum corpora ante potionem humectanda ſunt cibo pleniore, quietéque.

Impræſentiarũ Hippocrates veratri naturam oſtendit. Sunt autem duo eius genera, album & nigrum. Album enim magis vomitũ citat, quàm ventrem purget. Nigrum verò amplius vẽtrem purgat, quàm vomitum citet. vtraque tamen faciũt vtrumq́; sed hoc magis, illud minus. Videamus ergo, quare album vomitum moueat. Nempè quia leuius eſt, leuia purgat, & ſuperiora petit. Nigrum quum ſit grauius, inferiora petit. Natura autem ipſorum calida eſt & ſicca. Peſtiferum autem medicamentum eſt. Sciens autem Hippocrates affectus ex praua temperatura eſſe, vt in ruſticis, aut morbo comitiali, aut elephantiaſi, auxilium adducit eorum, aut ordinem, quomodo ſine læſione id detur. Aitq́; antè humectari corpora debere cibo, & ſic dari medicamentum hoc. Dabimus ergo aquam, quæ eſt frigida & humida? Non. Quia neruos infirmat, & medicamentum occîdit potius quàm iuuet. Quid igitur? Vinúmne? Non, quia inebriat & diſſoluit. Quid tandem? Ea nimirum quæ partim humectant, partim nutriunt, & auxilium in ſe recipientia temperant: qualia ſunt, oua, lactucæ, ptiſana, & alia ſimilia. Vbi acceperint medicamentum hoc, exagitare eos iubet, id eſt, voluere in terra & releuare, & iterum reponere. Quòd ſi forſitan delicati ſunt, adhibeatur veluti nauigatio, vt cito cõcoquatur hoc præſidium. Nam motus exagitationem facit, & celerius concoquitur. Vnde qùi nauigat, vomit, propter exagitationem, & auram maris.

APHORIS. XII.

EVm qui veratrum biberit, ad corporis motiones magis, ad ſomnos quietéſque minus, ducito. Motione corpus turbari, indicio eſt nauigatio.

Id ſibi vult Hippocrates, *Si dimiſeris antea dormire*, quàm egeratur, malum eſt, quia interius exulcerat.

APHORIS. XIII.

QVum libuerit, vt veratrum amplius ducat, corpus moueto. Cõtrà, quum ſiſtendum cenſueris, ſomnũ molitor, nec quicquam moueto.

Ordinem oſtendit, vt quum inſtitueris vomitũ, moueas corpus, at vbi concoxerit, & voluerit dormire, dimitte. Scito enim ſomnum requiem eſſe totius corporis.

APHORIS. XIIII.

VEratrum periculoſum ijs eſt, qui corpore integro ſunt. facit enim conuulſionem.

Hic vituperat, quod antea cautè offerendum iuſſit. Dicit enim illud carnes ſanas exulcerare, quando datũ fuerit, ijs maximè quibus non conuenit. Conuulſionem quare facit? Conuulſionem diximus, aut ex repletione, aut ex inanitione fieri. Nunc autẽ ex inanitione fit, quia deſiccat muſculos, & neruorum humectationem cõſumit. &

tale quid naturæ accidit,quale corio quod perfu-sum est,si ad solem vel ignem positum est,desic-catur & attrahitur.

APHORIS. XV.

SI quis non febriens inedia exigit, & cordis dolore, aut caliginosa verti-gine infestatur,ac oris amaritudinē sen-tit, purgatione se egere parte superiore significat. Dolores qui supra præcor-dia infestant,purgationem suprà:qui in-fra,infrà requirunt.

Diuidit Hippocrates corpus nostrū bifariam. Nēpe in superdiaphragma, & subdiaphragma. Superdiaphragma superiora dicit, vbi est hepar, stomachus, cor, & alia similia. Subdiaphragma inferiora dicit. Diaphragma enim dicitur interse-ptum costarum, pectoris, & ventris. hoc diuidit nutritoria à vitalibus,& à medio corporis vsque ad dextram læuámq; inguina tenet. Atq; ita in-quit Hippocrates,Si super diaphragma fuerit af-fectus, superiorem exposcit purgationem: Qui autē sub diaphragmate,inferiorem,id est,clyste-rem,vel purgans medicamentum, quod inferio-rem purget ventrem.

APHORIS. XVI.

QVi in medicamētorum potione non sitiunt cū purgātur, ij non desinunt priùs,quàm sitiant.

Absoluēs Hippocrates veratri rationem,nunc

ad consuetudinariã purgationem descẽdit. Quicunque, inquiens, in medicamẽtorũ potione multum per ventrem eijciunt, et non sitiunt, malum est. Item, si quis accepto medicamẽto deijciat, sitiátque, malum est. Quæras, Si sitis accedens malum, & si nulla accedens malum est, quid bonum est? Respõdemus hoc pacto. Quatuor res in vnũ conueniunt, vt deijciat multum, & non sitiat, & malum sit. Item quatuor aliæ cõueniunt, vt deijciat, & sitiat, & malum sit. Quia quum sitiunt, significatur medicamentum calore suo interiora calefecisse. expectãdum est ergo donec calore ipsius calefactos humores deijciat, & sic incipiat sitis cessare. Quũ verò non sitiunt, significatur medicamentum necdum operari. Expectandum est ergo donec humores soluendos calore illius calefaciat, & sic eo calore calefacti sitim inferãt. Item dico si fuerit hyems, materia pituita, & senior qui accipit, & locus frigidus, & multum ex medicamento deiecerit, & non sitierit, malum est. quia crassa materia remansit, quæ sitim non faciat. Dandũ est ergo tandiu, donec crassa materia exeat, & sic sitiat. Item si fuerit biliosus humor, iuuenis qui accipit, regio calida, tẽpus calidũ, ille antè quàm deijciat, sitit. Nam qualitas illum sitire facit, non purgatio. Tam diu ergo purgetur, donec humores deponãtur, & sitire ille desinat. ergo tunc facilè feret natura, quando proprium excreuerit humorem. In his ergo, sicut superius prędiximus, non desinas, hoc est, non dimittas, sed da denuo purgationem, donec aut sitiant, aut non sitiant, & superfluum purgent humorem.

Notatu digna

APHORIS. XVII.

SI tormina acciderint nõ febricitanti,& genuũ grauitas, & lumborum dolor, purgatione infrà opus esse significatur.

Dicit, Si tormina,& genuum grauitas,& lumborũ dolores,non febricitanti acciderint,sub diaphragmate,hoc est,infrà purgandi sunt. Quum enim hæc sine febribus patiuntur,sine dubio noxijs humoribus abundant. quum verò cum febribus, potius ex his huiusmodi tormenta accedunt. Nam febris calor est extra naturam, quæ totam apprehendit habitudinem.Ideo dixit,sine febribus.Et si ita fuerit, inferius illũ purgari iubet,id est,per clysterem,aut medicamẽ,aut purgationem quæ inferiorem purget vẽtrem. Nam si fuerit cum febribus, venæ sectione vacuent se, quod est super diaphragma. quia brachia super diaphragma sunt.

APHORIS. XVIII.

DEiectiones nigræ modo sanguinis atri sponte veniẽtes, siue cum febri,siue sine febri pessimæ sunt.

Scito,quatuor esse elemẽta, & quatuor humores, & vnumquemq; suum elementum imitari. Sanguinem,aërem:bilem,ignem: melancholicũ, terram:pituitam,aquam. Ergo sunt quatuor humores sicut quatuor elementa, quæ conseruant corpora nostra.Quęras,quintus ille humor quem deiectione significauit,vnde,& vbi detinetur,quũ

ui iacobũ de p.tib. sup p. p. de coplep. et sup cap. a humorib. cot. 8. ui. vĩ hvn. quarto can. sup cap. de feb. puri. cot.

ipsi quatuor humores in suis permaneant locis? Respondemus, eũ ex quatuor humoribus gigni, quem dicit nigras deiectiones. fit autem ex fæce sanguinis, aut ex bile putrefacta. Sed cur mortem infert? Triplici ratione. Primùm, quòd incendat naturam, & loca vnde transit: deinde, quòd debilitat. Tertiò quoque, quia viscositatem ipsius ferre non potest natura, adeò, vt vitalia feriat, & occîdat. qui dum egestus fuerit in terrã ebullit, nec ferri potest odore donec in interiorẽ partem terræ decurrat.

APHORIS. XIX.

QVicunq; in initio, vel augmento acutorum, aliorúmve morborũ melancholicũ vomuerint, eodem die moriuntur. Si verò in statu, vel declinatione quicquã tale emiserint, postridie morientur.

Interrogandus Hippocrates, quare ponat ipso die vel postero morituros, quum Galenus dicat, infantes aliquos bile hac per vomitũ reddita euasisse. Subijcitur: Si quocunque morbo incipiente, vel augescente, atra bilis infrà vel suprà redditur per vomitum, ipso die moriuntur, quia humores & affectus vincunt naturam. Si in statu aut declinatione, postero die, quia natura iam in statu aliquo modo quiescit, & magis tunc valida est, nec sic incitantur humores, & ideo tardius, hoc est, postero die moriũtur. Finge castrum alios intus occupare, alios foris obsidere: melius est longo itinere occurrere, quàm propè pugnare. Sic & na

tura post declinationem habet spacium.

APHORIS. XX.

QVò plures sunt praui colores, cò peius: sed si ex medicamento tales egeruntur, bonum est.

Dicit, quando ex bile copiosa huiusmodi colores sponte eueniũt, malum id esse. Si verò ex medicamento, bonũ: quia purgat inimicum naturæ.

APHORIS. XXI.

IN quocunq; morbo incipiente, si atra bilis, vel suprà, vel infrà exierit, letale est.

Quia diximus illã esse viscosam, perniciosam, pessimam, acerrimam, adeò vt dysenteriam excitet, quando emanauerit, tunc significat naturam iam cũ vitalibus interius præfocari ab ipsis: quæ natura non vt superflua respuit, sed quòd iam retinere non valuit. Sed cur aliqui dicunt in stomacho bilem istam detineri? Nos in eo hoc dicimus non fieri, quia locus principalis alienum suscipere non potest. Sed occurrit non detineri à natura, quia continuò mortem infert, dum genita fuerit.

APHORIS. XXII.

QVicunq; ex morbis acutis, aut diuturnis, aut vulneribus, aut alio quouis modo extenuati, atram bilem sanguini atro similem emiserint, postridie moriuntur.

Scribit Hippocrates, quicunq; in ipsis acutis, vel longis ægritudinibus, vel quum discedũt ex-

tenuati, bilem nigram, vel ſanguinem nigrum, ſiue per os, ſiue per anum emiſerint, poſtero die eos morituros. Nam bilis nigra, quæ dicitur mater morborũ, ſignificat ipſius humoris ſuperfluitatem. Sanguis verò niger, ſignat ſui corruptelam. Nam venæ corruptæ, aut effluunt, aut continentur, & ſanguis concreſcit, vnde etiam niger eſt. Et tribus quoque modis moriuntur: hoc, quia laborat natura: altero, quia ipſe ſanguis vnde habuit alimentum natura, emanat: tertio, quòd locum vbi conſederit, occîdit & debilitat. Quare poſtero die moriuntur? Nam primò eſt fluctuoſus pulſus iuxta pollicem, qui eſt vehemens & frequens, poſtea vermiculans, qui etiam eſt debilior priore, deinde formicans, qui proximam oſtendit mortem.

APHORIS. XXIII.

DIfficultas inteſtinorum ſi ab atra bile incœpit, letalis eſt.

Sciendum, Hippocratem ſuperiore aphoriſmo de bile atra diſputaſſe, & quando mors exinde ſequeretur. Nũc ſi ex ea dyſenteria originem cœperit, mortale eſſe docet. Quia verò iam ſæpius diximus quid eſſet dyſenteria, aut quot eius differentiæ, nunc repetere idipſum non debemus. fit autem ex atra bile dyſenteria, quæ eſt adeò acris vt in perniciem quenquam agat: præcedit cauſa, & ſequitur affectus: præcedit bilis quæ adfert initium mortis, ergo poteſt facere dyſenteriam: quę ſi ab initio, ab ipſa nigra bile initium habuit, omnibus modis mortale eſt. Sed ſi prius fiat dyſen-

teria,& sic subsequatur atra bilis,vtrum mortem inferet,an non? Dicimus id aliquando,non semper accidere. quia iam affectus debilis inuenitur, virtus autem fortior.

APHORIS. XXIIII.

SAnguis suprà emissus qualiscũque est,malus est:infrà autem,bonus est.

Videtur sibi non constare,dicens si suprà emanet sanguis,malum esse.Nam sæpe si sursum effluxerit,bonum est.adeò,vt per narium fluorem multæ ægritudines determinentur, vt synochos, & continens febris,aliquãdo & causon.Idem anginam aliquando soluit,& id totum contra Hippocratem opponitur.Sed dicimus tantum ac talem virum & amicum naturæ,non esse mentitũ. Nam de naribus non dicit nunc, quod est particulare & consuetum:verùm per os emittere sanguinem malum significat: aliquando enim mortale est, aliquando periculosum: & ideo malum est,quia vniuersalis est excretio.Nam ex sanguine totum corpus nutritur:excretionem itaq; sanguinis mors subsequitur. Inferius ideo bonũ est, quia hæmorrhoïdes aliquando elephanticos curant,aliquando quartanam:& meritò,vt quæ ex melancholico humore fiunt, & ex sanguine hæmorrhoïdes.is sanguis melancholicum aufert humorem:diminuta materia,recedit affectus.

APHORIS. XXV.

SI ex difficultate intestinorum laboranti,carunculæ exeunt, aut excretiones nigræ, letale est.

Sæpius de dyſenteria loquutus eſt,quæ nihil aliud eſt quàm diuortium continui, id eſt, vlceratio inteſtini, ſed de hac nunquam loquutus eſt. Sciendum inteſtina noſtra alio,& alio modo poſita eſſe, neruoſa tamen eſſe. Sunt & alia membra neruoſa, vt eſt ſtomachus & veſica: & quicquid neruoſum eſt,tum carnē in ſe continet,tum ex ſanguine nutritur. Natura enim noſtra ſeorſum habet neruos,& intextas pulpas,& muſculos. Vnde febrientibus muſculos præcipimus, id eſt,crura porcorum, quia fortiorem in ſe habent virtutem, quàm aliæ carnes. Si quis nobis dicat, oſſa vnde oriuntur? Dicimus,ex humectatione. Nam amiſſa humectatione,in puluerem redigūtur,quomodo ligna ſicca quæ cariem ſentiūt.Ergo nullum membrum ſic poſitum eſt,quomodo inteſtina, quæ foris ſunt neruoſa,& intus carnoſa, & ſub carne glutinoſum habent humorem. idq; vt aſcendens acerrimus humor non raderet inteſtina:qui inde deſcendens excidit radendo,& ſic per naturā eijcitur: quod maximè in infantibus fit,vnde extenuantur.Ergo hoc Hippocrates innuit,Si velut ſanguis niger, aut quaſi caro eſt, mortale eſt.quia ſāguis effuſus de loco ſuo nigreſcit,& quātò magis nigreſcit,tātò periculoſior efficitur locus.Nam ex ipſo nō nutritur ipſa ſubſtātia carnis, ſed corrūpitur:& ſi ipſa corrumpitur, quę erit ſpes vitæ? Vnde dicit Galenus,q̃ cuidam ex iſta vlceratione,ipſum inteſtinū deciderit, vnde mortuus eſt homo.Ideóq; mala eſt dyſenteria quæ ex atra bile naſcitur. At ſi ſuperius fuerit,hepatica dicitur dyſenteria:ſi verò inferius cruēta.

APHORIS. XXVI.

QVibus per febres sanguis alicunde large exierit, ijs in recreatione alui humidæ redduntur.

In febribus, inquit, quum cibi quos acceperit quis, detinentur in stomacho, & non fit cōcoctio neque excretio, sed tantum in substātiam pituitę conuertuntur, & virtutes in his naturales tūc debiles, concoctionem obire nullo modo valent, quū cibi tantum in pituitam conuertuntur. vnde sunt vētres humecti. Ergo in febribus si sanguinis fuerit fluxus, vtile erit. Quia pessimi humorum vapores per eum soluuntur.

APHORIS. XXVII.

QVibus deiectiones biliosæ exeūt, surditate superueniente finiūtur. & quibus surditas præcesserit, desinit, si deiectiones sequūtur biliosæ.

Quid sibi vult Hippocrates hoc sermone, Surditas bile cōtracta, soluitur solutione vētris: & surditas nata ex solutione, retentione curatur? quod absurdum videtur. Sed ita intelligi debet. Bilioso humore stomachum occupante, aut vapor ipsius cerebrum tangit, aut ipse humor superiora petit & surditatem facit. ergo si solutio ventris infrà illum deijcit, suprà minimè ascēdit, & sic soluitur affectus. Si verò solutione ventris surditas nata fuerit, vel nimia inanitione: constrictione curatur. Ipse enim dicit contraria cōtrarijs esse remedia.

vnde imperiti medici quando ſolutio alui oboritur, quæ curat ſurditatē, conſtringunt eam: vnde affectus euadit auctior, & difficilius terminatur.

APHORIS. XXVIII.

QVibuſcunque febricitantibus die ſexto rigores accidūt, ijs difficulter iudicatur.

Superius nos docuit de veratro, & purgante medicamēto, vel dyſenteria, ſeu bile atra, & alijs humoribus, quidq; ſinguli efficerēt, addidit. Nūc autem venit ad dies criticos, de quibus Galenus libros ędidit, quos de diebus decretorijs inſcripſit. Sed quia totum hic dicere non poſſumus, partem oſtendemus. Sciēdum, tertiū diem incipere quintum: & quartum, ſextum. Quintus verò dies ſeptimi initium eſt. Ergo quia horum dierum alter alterius indicationem ſignificat (Nam tertius dies indicat quintum, & idem indicat ſeptimum, & ſeptimus indicat nonum) videamus nunc quando bona ſit iudicatio, & quando mala, ne omnibus modis intellectum nobis impediat. Tertius dies anginam iudicat. ſi verò illo die iudicata nō fuerit, in quarto die ægri moriuntur. Item febris tertiana ſi tertio die perturbationē habuerit, quinto die moriuntur. ſed ſi augmentū affectus quinto die venerit, ſexto die ſoluitur, & iudicationem habet. Sexto autē die cur rigorem facit? aut quot res in vnum cōueniunt, vt non ſit iudicatio bona, ſed ſit difficilis? Nimirum quia quatuor res in vnū conueniunt, quæ hoc faciunt, Si natura fuerit infirma, ſi non fuerit concoctio vrinarum vel ven-

tris,ſi fuerit vehemẽs affectus,ſi fuerit virtus debilitata die ſexto,malum eſt.quippe hæc habitudo peſſima eſt.Et quare pares dies mortiferi ſunt? Quia fortiorem habent virtutẽ,& in diebus paribus morbus reficitur,dolet autem natura.Sciendúmque, ſi ſexto die frigus obortum fuerit, hoc eſt,febri ſuperuenerit,inſolubilis morbus eſt.

APHORIS. XXIX.

SI conuulſioni quartana ſuperuenerit,facilè curatur.at ſi quartanæ cõuulſio ſuperueniat,non facilè curatur.

Hinc eſt quod dixit Hippocrates,morbũ morbo mederi, vt ſi prius fuerit conuulſio, & ſuperuenerit quartana,curatur quartana.quia ſuperius diximus,cõuulſionem fieri aut ex repletione,aut ex inanitione.Nunc ex repletione fit, quia motũ naturalẽ non facit.ſuperueniens quartana adfert cõcuſſionem naturalem,motus calorẽ facit,calor aperire nouit meatus,apertio verò meatuum ſolutionem facit morbi neruorum. Sume in exemplum lagenam plenam melle,dum plena fuerit, non effluit aliquid:dũ verò ad ſolem aut ad prunas poſita fuerit, craſſus humor reſoluitur,& deſtillat. quia calor mediocris relaxat mediocriter, & ad ſudorem prouocat: maximus, deſiccat.At ſi prius fuerint quartanæ, & ſuperuenerit cõuulſio,non curat morbus morbũ. quia materia melancholici humoris maxima eſt, vel quia affectio pigra curare maximam non valet.

APHORIS. XXX.

QVi per febres laſſantur,ijs in articu-

los & maxillas potiſſimum abſceſſus decumbunt. Si verò ex abſceſſibus febres fiunt, eruptione ſoluuntur.

Hoc dicit: Si quis in febribus laborauerit, maximè illi abſceſſus naſcitur. Item dicit: Si quis ex abſceſſu febrierit, rupto illo, ſoluitur febris. Sed hoc quo modo accidit? Cur abſceſſus in articulos & maxillas decumbit? Quia natura humoris ſuperfluitatem in debilem locum iactat: ergo in articulos propter frigiditatem, tum quia mouētur & humidi ſunt. de maxillis ſimiliter. Articulos talos dicit, qui calidi ſunt, & humidi: ergo quod in articulos decurrit, in talos iactatur, propter humiditatem & calorem. Exempli gratia, cómiſce ſimul æs & plumbum, aurum & argentum viuum, & quid quò decurrit? Ad aurum, argētum viuum: ad æs, plumbum, quod illi aptum eſt. Itáque & humores, alij ad ſimilia decurrūt, alij ad debilia. Si verò fuerit abſceſſus, & inde febris, rupto illo ſoluitur febris, quia diximus ægritudinę ægritudinem ſolui, & iudicari. ergo qui in febre abſceſſum experiuntur, per illum ipſis ſoluitur febris. His verò qui per abſceſſum febriunt, eo rupto ſoluitur febris.

APHORIS. XXXI.

QVibus conualeſcentibus à quauis ægritudine pars aliqua corporis labore vexatur, ijs eam in partem abſceditur.

Hic conatur oſtendere: Si quibus remanſerint

reliquiæ humoris,non perfectè ſanantur,ſed adhuc malè laborant,& malè comedũt. Continuò enim ad opus ſuũ reuerti vult hoc quod remanſit,& quotidie augetur. Et quia natura ipſum iactauit, vt diximus, in locum debilem, continuò abſceſſus oboritur.

APHORIS. XXXII.

QVin & ſi prius quàm ægrotaſſent, parte aliqua ſui corporis perdoluerint, eódẽ morbus decumbit.

Hoc eſt,quod docet: Si ante morbũ fuerit dolor, & poſtmodum illuc iactatus fuerit humor, malum:quia augmentatur in loco humor,& quicquid ſuperflui habuerit natura,illuc proijcit.

APHORIS. XXXIII.

SI à febre detento,nullo tumore faucium ſtrangulatio ſubitò accidit,letale eſt.

Vt hoc dicat,videamus quot ſint orificia, quæ talem ſtrangulationem faciant. Certè tria,vnum quod dicitur œſophagus, quod trahit cibum & potum,quod os ventriculi dicitur,vnde totũ corpus nutritur. Aliud dicitur aſpera arteria,per quã miniſtratur & nutritur ſpiritus naturalis. Tertiũ verò per ſpinæ medullam ad cerebrum pergit. Videamus vnumquodq; eorum quem ſitum habeat. Aſpera arteria ſubtilior eſt œſophago. Vnde qui ſubtilem habẽt vocem,aſperam arteriam ſubtilem habẽt:quare aliqui oua integra glutiũt, quia inter aſperam arteriam,& œſophagũ membrana eſt quæ aperit & claudit. Sed quod ex his

mortis periculum adfert? Nimirum aſpera arteria & non œſophagus. Nam ſi non comedit homo per triduum, viuit. at ſi vna hora non habet inſpirationem & reſpirationem aëris, eadem hora reddit ſpiritum. Et quomodo poſſumus cognoſcere iſtam ſtrangulationẽ? Quando tumor non fuerit in ceruice, neque in faucibus, ſed neque immiſſo digito tumorem inuenis, & ſubito facta fuerit ſtrangulatio, tunc crede factum eſſe tumorem in aſpera arteria, & mortẽ ſequuturam, eadémque hora ſtrangulatum, quando inſpirationem & reſpirationem aëris non habuerit.

APHORIS. XXXIIII.

SI febricitãti collum peruertitur, vt vix deuorare poſſit, ſine vllo tumore, mortiferum eſt.

Notandum, œſophagum & aſperam arteriam muſculos in ſe habere, intus & foris, quia in ceruice, vt diximus, ſex habemus ſpondylos, & eo ordine poſiti ſunt, vt deſeruiant naturæ. Si verò vltra naturam aliquis eorum exuberauerit, tunc aut intro recipitur, aut ſurſum, aut in dexteram, aut in læuam: quia natura ſic poſuit collum, vt ſiue ſurſum, ſiue deorſum, ſiue in dexteram, ſiue in læuam circunferatur. Quando autem circunferri non potuerit, ſine colli tumore, tunc ſiue ſurſum, ſiue deorſum muſculi pergant, proprijs nominibus faciunt morbos, id eſt, ſi foras petierint, lordoſin: ſi intrò cyrtoſin. Et quia ſuperius diximus aſperam arteriam & œſophagum muſculos habere intus & foris, tale quidem accidit naturę

in istis,quale accidit loculo,per quē si trahas corrigiam à foris,totum claudis.Nam in ipso etiam tanquā vertebræ subiunguntur.Ergo siue sursum ascendat vertebra,siue inferius,siue in dextram, siue in sinistram,strāgulat.Vnde mors sequitur.

APHORIS. XXXV.

SVdores febricitanti si cœperint in critico die tertio, quinto,septimo, nono,vndecimo,quartodecimo,decimo septimo,vigesimoprimo,& trigesimoprimo,hi morbos iudicant.Si aliter euenerint,mortem significant,vel dolores,vel longas ægritudines,vel recidiuas.

Quoniam docuit nos Hippocrates in superioribus aphorismis, ægritudines quo modo debeamus cognoscere , necesse habuit nunc iudicationem earum dicere.Quia verò quadrifariam diuiduntur,in acutam,peracutam,mediam,longam, sciendum de acutis & quæ acutis subiunguntur Hippocratē disputare. Quæras,cur à tertio die incipiat,& non à primo vel secundo.Secundùm Philosophiam talis est ratio.quia primus & secūdus numerari non possunt,tertius verò,numerus est,in quo inueniatur par & impar.Secūdùm medicinam verò huius rei hæc est ratio, Tertio die omnes typicæ ægritudines agnoscuntur , vt est tertiana:quæ si primo die cōmouetur, & habuerit diem interpolatum,& tertio die cōmota fuerit,significat tertianā. Sic & quotidiana quotidie demōstratur.Quartana verò quę vno die cōmo-

uetur,& duos dies interpolatos habet, significat quo modo vnũ tempus finitur,alterum initiũ habet.Rursus, Quare sudores isti per impares dies boni sunt , & paribus mali aliquando & mortales? Nimirum,quia ista ratio in astrologia continetur.Attamen particulatim dicimus: quia sicut de⁹ impari numero gaudet,sic & natura.Sed sciẽdũ est,in isto aphorismo, vbi dicitur tertius dies, illic inueniri scriptum, & quartum, & vbi septimus,illic sextum.Iterũ, Quare quartus dies non nominatur, & sextus? Dicimus, scriptorem hic peccasse.dum enim inuenisset tres & quinque,& septem,non dixit quatuor.quartus enim dies hic non est.Aliud verò,Quia quartus & sextus non prædicũtur. Sæpe enim tertius quintum indicat, quintus septimum,septimus nonum, nonus vndecimũ, vndecimus decimumquartum, & sic se prænuntiant. Nam si fuerint aliqua signa tertio die,id est,aut parui sudores, aut alia signa, quinto die adueniẽte iudicatur ægritudo.Eodem modo se subsequuntur dies critici.

APHORIS. XXXVI.

SVdores frigidi si cũ febre acuta accidunt,mortem significant.

Quæstio nobis oritur, Si regula est dialecticorũ,duo contraria, in vno tempore, in vno subiecto esse non posse, quomodo dicit Hippocrates, acutam febrem quæ est calida , frigidos sudores emittere?Domnus,Pelops,Lycus,& Rufus philosophi locum hunc relinquunt,quanquam dixerint frigidum sudorẽ à natura iam ceu alienũ expelli.Galenus autem cui planè acquiesco,dicit se

brem aliunde non esse, q̃ aut ex habitudine corporis putrida, aut ex spiritu, aut humiditate, vt sunt humores. Febris ergo ista ex pituitoso fit humore, qui dum motũ agit in putredinẽ, febrem facit. Si parum putruerit, acutam facit febrem: si amplius, in frigiditatẽ conuertitur. Accipe in exẽplum cadauer: quod dum proijcitur nõ calet, nec fœtet. dum modicè putrefactum fuerit, calet & fœtet. sic itaq; & pituita. Ergo quamuis febris faciat sudorem, tamen ex frigida materia est. Mortem verò quare facit? Quia pituita partẽ corporis tenet, vt in apoplexia caput occupat, & mortem infert. quantò magis quãdo totam habitudinem corporis tenuerit, mortem inducet?

APHORIS. XXXVII.

SI cum mitiore febre, longitudinem morbi indicant.

Hoc de superiore sudore scribit, quem maximè in lipyria febre dicit fieri, quæ ex glutinoso est, & ideo non citius sudor euenit ipsis. Ergo tum prædicit longiorem fore ægritudinem.

APHORIS. XXXVIII.

ET qua parte corporis sudor est, ibi morbum esse significatur.

Nam si fuerit in pectore sudor, illic significat esse morbum. Sic & in quocunque alio membro. Sudor autem aut vniuersalis fit, aut particularis. Vniuersalis fit duobus modis: vno, quia est abundans materia: altero, quia non est virtus valida. Particularis item fit trifariam: Primùm, si est abundans aliqua materia: deinde, si est ibi virtus de-

bilis: Tertio, quia locus qui ſuſcipit, patitur. ſicut & nunc Hippocrates dicit, in quocunq; loco ſudor fuerit, illic morbum oſtendit.

APHORIS. XXXIX.

ET qua parte corporis frigor aut calor eſt, ibi morbus eſt.

Deſideratur hic commentarium.

APHORIS. XL.

VBi in toto corpore mutatio fit, & modò corpus frigeſcit, modò caleſcit, aut colorem alium ab alio recipit, longitudo morbi ſignificatur.

Item hic.

APHORIS. XLI.

SI per ſomnũ ſudoris copia ſine cauſa manifeſta euenit, vſus cibi plenioris ſignificatur. Sed ſi nõ per cibũ id accidit, inanitiõe corpus egere ſignificatur.

Sudor aut ex repletione, aut ex inanitione fit: Ex repletione, aut cibi, aut humoris. Id nunc dicit: Si per ſomnum aliquis ſudet, ſignum eſt, multum cibũ accepiſſe. Sed cauſam inſpiciamus. Dicimus ergo hominem quando laborat, ſudare: eóque magis quando virtutes operantur, exprimũt ſudorem. Si quis autem abſtineat, & ſic ſudet, abundantiam ſignificat materiei. Ideo inanitionem dixit poſtulare corpus.

APHORIS. XLII.

SVdor multus, modò frigidus, modò

calidus, aſſiduè fluens, frigidus magis, calidus minus, morbum ſignificat.

Frigidus ſudor ex pituita eſt, & ideo lõgiorem ſignificat ægritudinem, propter ipſum humorẽ qui tardè extenuatur: calidus ex bilioſo eſt, ideóque minorem ægritudinẽ ſignificat, eò quòd celerius finitur. Sed frigidum & calidum generaliter de ſudore dixit, quia aliter ſudor non fit, niſi aut frigidus ſit aut calidus.

APHORIS. XLIII.

QVæcũq; non intermittentes dietertij vehementiores redduntur, magis periculoſæ exiſtunt. ſed ſi quouis modo intermittunt, ſecuritatem ineſſe ſignificatur.

Præſenti ſermone oſtendit Hippocrates, ſi tertio die febris non minuitur, periculoſã fore, quia quãmaximè typicæ omnes in tertio die cognoſcũtur. Diaria vno die cognoſcitur, in quo finem & initium habet. Si enim non finierit ipſo die, & ſequente maneat, tunc cognoſcitur eſſe quotidiana. Tertio die maximè cognoſcitur tertiana, & quartana quarto die manifeſtatur, quo plus quoque febriunt. Sed hæ omnes ſi tertio die non minuuntur, periculoſæ fiunt. Et vt quartanas, tertianas, quotidianas, difficiliores eſſe cognoſcas, accipe mihi in exemplum hominem facientem iter caballo miliaria centũ, & ſi voluerit duobus diebus id facere iter, fatigat caballum. Si verò vno die fecerit quinquaginta, & alio die pauſauerit,

tertio die validius iterat alia quinquaginta. Sic natura ſe habet in iſtis febribus, quæ die intermiſſo, aut intermiſſis aliquot pauſauerint, tunc & natura quieſcit, & ægrum nutrire magis poteſt, vt validior fiat & virtutes non deficiant. Vnde tertiana prolixior & ſine periculo eſt. Quartana quoq; quamuis ex natura ſit mala, tamē quia duos dies interpolatos habet, quò amplius protrahitur, eò magis ſine periculo eſt.

APHORIS. XLIIII.

QVos febres longæ exercēt, iJs vel abſceſſus in articulo, vel labores decumbunt.

Hoc eſt, Si in febribus tumor apparuerit, tunc oſtenditur ægritudinem abſceſſu finituram.

APHORIS. XLV.

QVibus aut abſceſſus in articulos, aut dolores decūbūt ex febribus lōgis, iJ cibo pleniore vtuntur.

Si quis, inquit, febriens tumorem & dolorem articulorum patiatur, ſignum eſt, multo eum cibo vti, & cruditas humoris nutritur, quæ decurrit ad articulos & dolorem facit: ſicut oleum in marmore decurrit, & vbi inuenerit cōcauitatem, retinet ſe: ſic & hic crudi humores in articulis detinentur. Vnde podagricos & articularios arcemus à cibis.

APHORIS. XLVI.

SI rigor accidit per febrē non intermittentē, ægro iam debili, letale eſt.

Explicat ſigna quibus poſſit medicus prædicere vitam aut mortem. Quæras, cur, quum ſæpe videamus rigorem & in quotidiana, & in tertiana, non moriuntur ægri? Sed intelligas: Si febri ſuperuenerit rigor, & debilis fuerit æger, tunc mortale eſt. Nam bilioſus humor iam vitalia penetrauit & occîdit.

APHORIS. XLVII.

EXcreationes in febribus non interpellatis liuidæ, aut cruẽtæ, aut fœtidæ, aut bilioſæ, omnes ſunt malæ: ſed ſi bene excernuntur, ſalutares ſunt. Deiectiones etiam & vrinæ iuuant, quæ commodè exeunt. At ſi nihil commodè per ea loca excernitur, malo eſt.

Excreationes dicens, ſaliuam decurrere ſignificat. Nam aliud eſt excreatio, aliud tuſſis: aliud non excreare, & non tuſſire. Ergo ſi in febribus excreationes liuidæ fuerint, aut cruentæ, aut fœtidæ, aut bilioſæ, malum eſt. Quia vena aut corrumpitur, aut deſudat, aut vlceratur. Si rumpitur, & deſcendit in cõcauitates humor, & multo tempore illic detinetur, occîdit locum, & mortem infert, multis modis: In primis, quia ex ipſo ſanguine nutritur corpus: Deinde, quia occîdit locum: Tertio, quia mortificat ægrotũ. Liuidum ſignificat, ꝙ extra vas ſit: cruẽtum, quòd vena dirupta ſit: odor grauis, ſignum eſt, quia multo tempore locum putrefecit. Et ideo mortẽ operatur. Nam quando vena rumpitur, non eijcitur, ſed in loco

detinetur. Deiectiones & vrinas, significat, excrementa secundum se facere, quia naturalis calor interius copiosior est, & ipse locum putrefacit. sicut & in æstate carnes putrescunt. Nam si tenes citrum in manibus diutius, quod antea bene olebat, ipsum postmodum fœtet. Ergo si extra naturam immutatum fuerit, tunc male est. quia infectionem habitudinis significat.

APHORIS. XLVIII.

IN febribus non interpellatis si partes exteriores inalgescunt, interiores vruntur & sitiunt, letale est.

Interrogare possis Hippocratem cur hoc dicat, dum sæpius vidimus in typicis febribus frigorẽ esse, sitim, & ardorem, attamen non fuit mortale neque malum. Sed aliud ante accessionem, aliud post accessionem Hippocrates dicit fieri: quod ei opponeretur si ignorasset aut quotidianam, aut tertianam. Nunc ergo regulariter loquitur, inquiens, & si antea fuerit febris & debilitas, istáque superuenerint, malum est, quòd signum sit mortis. quia in vitali loco adhuc natura luctatur cum humoribus, & naturalis calor per locum patientem decurrit: & dum natura quærit liberare, ipsa potius occîdit ægrotum, quàm liberet. Frigidæ ideo sunt partes exteriores, quia derelinquit calor superficiem, & interius (vt diximus) refugit. Et tale quidem tunc patitur corpus in istis, quale Constantinopolis, cuius ciues concurrentes ad palatium quotidie, vbi senserint domum ardere, currunt cum situlis vt liberent domum. Quum

ergo cessarit incendium, abeunt, & rursus augeri permittunt. Sic & natura vult liberare, sed potius occîdit quàm liberet.

APHORIS. XLIX.

IN febre non interpellata si labrum, aut oculus, aut supercilium, aut nasus peruertitur, si visus, si auditus defecerit, ægro iam debili, quicquid ex his accidit, mors in propinquo est.

Quanuis ista signa in prognosticis latius declarata sint, tamen ad hunc locum quantum pertinet dicemus. Quæstio autem optima succurrit: Quum labrum dicat conuulsionem pati, sæpius videmus in paralysi labium torqueri & alia, non tamen mors sequitur. Quomodo ergo dicit nunc mortale esse? Sed regulam nunc tene: Si minuitur febris, aut debilis fuerit, & labiũ torqueatur, aut oculus, vel alia signa fiant, principium patitur, vnde hæc effecta procedunt.

APHORIS. L.

QVibus in febre non interpellata difficultas spirandi cũ delirio accidit, letale est.

Quæras & hic forsan, quid delirium ad spirandi difficultatem, dum in diuerso corporis loco fiant? Multi hic multa senserunt, alia Pelops, alia Lycus. Sed exponens Galenus istum locum, anatomicam hic reddit rationem, inquiens, Prouida natura tres musculos descẽdentes fecit à dextro iugulo, ad dextram coxam, & alios tres à sinistro

iugulo ad ſiniſtram coxam,& duo qui in orbem circumeunt,circuli modo mittuntur:quorum alij aperiunt,alij claudunt, vt naturalem miniſtrent motum vel ſpiritum:nerui à cerebro procedunt, & communionem cum muſculis habent, & intexunt carnes. In his autem alienatio ſignificat iam muſculos à tumore præfocatos,& cerebrum eis compati.Et dum duo principia, id eſt,cor & cerebrum patiuntur,quæ erit ſpes vitæ?

APHORIS. LI.

PEr febres abſceſſus, niſi primis ſoluatur iudicationibus,morbi longitudinem indicat.

Si quis febricitans abſceſſum habuerit ante criticum diem,ſignum eſt, virtutem eſſe validam, quæ illũ expellit.Si eruperit,& à prima criſi non receſſerit ægritudo, abundantiam ſignificat humoris, & longam ægritudinem, quia tanta fuit copia humoris,vt abſceſſum moueret, quum ægritudo permaneret.

APHORIS. LII.

QVibus in febrib⁹,aut ĩ alijs morbis oculi volũtate illachrymãt, nullum eſt malum. Sed quibus nolentibus,periculoſius eſt.

Hic ex lachrymis Hippocrates ſumit indiciũ: quæ duobus accidunt modis, aut volentibus,aut inuitis. Cum voluntate, vt ſi quis viſitans hominem fingat ſibi dolorem, vt plangat ſponte: vel ſi affectus corde lachrymas emittat:& iſtud ma-

lum non est, quod voluntate accidit. Quibus autem inuitis fiunt, significant cerebrum esse infectum aliquando, & ideo malum est.

APHORIS. LIII.

QVibus lentore dentes opplentur, iis febres incidunt vehementes.

Cupit Hippocrates per omnia doctũ esse medicum, & tenere illum signa, quibus valeat mortiferarum ægritudinum euentum prædicere: tum earum quæ sint tẽpore breui finiẽdæ, aut quæ longi tẽporis habeant productionẽ. Ergo omnis cognitio habebitur tribus modis, aut enim signis comprehẽdemus, aut causa cognoscemus, aut interrogationibus apprehẽdemus. Signis, veluti his quæ ab Hippocrate dicuntur: Causa autem, veluti si aliqua præcedente satis manifesta, signa consideremus: Interrogationibus verò, vt puta dũ ingressus fuerit medicus & inuenerit aliquem laborantem febre, Quærit ergo, Nihil tibi sentitur in ore aut amarũ aut dulce? Respõdet æger. Non, sed potius instar saponis aliquid sentio. Tunc considerat medicus glutinosum humorem esse interius, qui facit lentorẽ in dentibus: ac tale quid naturæ accidit in his, veluti si quis nouiter cædat ligna è syluis, & apponat illis ignem, & dum hæc ligna faciãt fumum, habent humectationẽ: vbi consumpta fuerit humectatio, velociter flamma efficitur, & tamen fuliginem in superficie relinquit. Sic itaque & natura ex glutinoso humore facit febrem, & ex ipso humore quasi fumum in cerebro nostro emittit,

vnde & dentes nostri inficiũtur. quia in extremitate cerebri positi sunt. & dũ istud inuenerit medicus, tunc prædicit vehemẽtiorem & periculosiorem febrem adhuc fore.

APHORIS. LIIII.

QVibus tusses aridæ plurimę & modicæ irritantur per ardores, ij nõ admodum siti afficiuntur.

Quæstio nobis occurrit, Cur Hippocrates dicat, In febribus vrentibus tussientem non sitire. Videamus in quib9 locis nascitur tussis, & in quibus sitis. Itaque sitis duobus nascitur locis, aut in pulmonibus, aut in stomacho: Quę in stomacho, potu tẽperatur: Quæ in pulmonibus, potu incitatur. Febriẽtes verò homines ideo tussiũt, quia anhelant, & dũ quærũt trahere aërem, tũc frigor nimius ingreditur, & facit tussiculã, & ex ipso aëre tẽperatur sitis. Non ꝙ aër sitim temperet, sed ꝙ ipsa siccitas quæ tussim facit, tẽperat sitim, quæ est in aspera arteria, & in pulmonibus: quò non ingreditur potus, sed aër. Illã verò sitim quæ nascitur in stomacho, potus temperat, quia fit exacerbatione hepatis vel vẽtris: quò ingreditur potus, qui sitim tẽperat: idémq; sitim facit. Quoties enim in pulmonibus tussis fuerit, & bibãt ægri, extenduntur viscera, & opprimitur aspera arteria, & aër qui ingredi debebat non ingreditur, & plus excitatur tussis & sitis. Item quæras, Quare dicit plurimæ & modicæ tussiculæ? Plurimæ, eò quòd assiduæ sint: Modicę, quia ex faucibus sunt, & non ex altitudine corporis.

APHORIS. LV.

EX inguine febris,nisi diaria sit,mala est.

Inguinũ febris,aut ex qualitate est,aut ex humoribus,quoties putredo cum humoribus ad inguen descenderit, quia loca sunt subtilia & delicata. Mala ideo est huiusmodi febris, quia tribus modis læditur natura: vno, quòd fluxus sit humoris:aliò,quòd locus debilis: tertio,quòd febris. Diarias autem febres dixit, quæ sunt, aut ex percussu,aut ex ventositate,quæ inter diarias numerantur.

APHORIS. LVI.

FEbricitãti si sudor accidit,febre non intermittente, malo est. Morbus enim prorogatur, plúsq; humiditatis inesse significatur.

Febris principaliter tribus modis accidit, aut ex humoribus putridis,aut ex putredine, aut ex ventositate. Nunc ergo de humoribus loquitur, inquiens,Quòd si sit ex putredine humorum febris,& superueniat sudor, febrísque non iudicetur,signum est,crassos humores in altitudine remansisse,& tenues ad superficiem expulsos.Vnde prædicet medicus longiorem adhuc & periculosiorem fore febrem. Item si fuerit ex putrida materia,& superuenerit sudor,& non imminuerit febrem,adhuc longior erit ipsa. Nam sudor iudicationes ægritudinum moliri solet.Quia verò non iudicatur per sudorem,significat abundantem esse materiam.

APHORIS. LVII.

QVi conuulſione, aut diſtentione tenetur, ſi accidit febris, morbū leuat.

Quum ſit conuulſio particularis, diſtentio vniuerſalis, quare illam prius poſuit? Nimirum, quia conuulſio genus eſt, diſtentio ſpecies. Conuulſio memoriā turbat & obumbrat, ſic vt reliqua mēbra motum aliquem non habeant: & diſtentio diuiditur in opiſthotonum & emproſthotonū, quæ accidunt conuulſioni. Neceſſe igitur fuit maius primùm explicari. Cæterum dictum eſt ſæpius, conuulſionem aut ex inanitione fieri, aut ex repletione: diſtentionem verò, quoties extenſum, vel incuruatum, totum rigidum corpus eſt. Nūc autem ſicut diſtentio, conuulſio ex repletione fit. Generalis ergo affectus, generali indiget auxilio, quod eſt febris. Nam ipſe ſuperius docuit, febre ſuperueniente conuulſionem finiri.

APHORIS. LVIII.

QVi ardore tenetur, ſi rigor accidit, ſoluitur eo malo.

Videamus quid ſit ardor, aut vnde fiat, aut quid ſit rigor. Ardor quem græci dicunt καύσονα, eſt febris ſine interpolatione, quod apud antiquos incendium exponitur. Fit autem ex bilioſo humore, ſed ſanguine vltra modum cōmixto. Eſt verò peracuta affectio, quæ vſque ad ſeptem dies durat. Aliquando in ſeptimo die iudicatur. Rigor aliud eſt à frigore: hoc enim ex frigido humore eſt, ille ex bilioſo humore: quoties ad ſuper-

ficiem venerit, & erosionem moueat. Sed in febri ardente si superuenerit rigor, soluit illam duobus modis: vno, quia ipsa bilis iam ad superficiem venit & euaporat: alio, quòd frigus intro ingreditur, vnde calor euaporat.

APHORIS. LIX.

FEbres tertianę exquisitę septenis circuitibus iudicantur, quod longissimum sit.

Quum febrem tertianã exquisitam dicit, nos intelligimus & non exquisitã. Sed videamus quot modis agnoscamus exquisitam tertianam. Sex: Nempè materia, natura, tempore, regione, copia ciborum, temperie. Hæc omnia exquisitam denuntiant tertianam: quòd si aliquid ex his defuerit, iam non est exquisita. Septem verò circuitus veniũt ad quatuordecim dies, quare est acuta affectio. Tantum ergo durat, quantum ardens febris, quæ durat septem dies, tertiana quoque septẽ. Nam ad quartũdecimum diem septies commouetur. Quæras forsan, si ardens febris ex bile, & tertiana ex bile fit, quare hæc interpellata est, illa non? Ideo, quòd vna materies ipsius humoris tribus modis subsistat, aut enim minima est, aut media, aut maxima, sicut biliosus humor. ex mediocri ergo ipsius humoris substantia, fit tertiana, & peruenit vsque ad minimum & euaporat, & fit dissipatio. Vnde est dies interpolatus, & alia die remouetur. Ardens autem febris ex maxima fit materia: vel si vsque ad medium veniat ad minimum non pertinget. Et propterea non ha-

bet interpolationem. Deinde, quia bilis putrefacta ardentem febrem facit: adhuc, quia est intra vasa, non est interpolata.

APHORIS. LX.

QVibus per febres aures obsurduerint, ijs sanguis è naribus fusus, aut aluus perturbata, soluit morbum.

Si in febribus sit aurium surditas, bilis vapor ascẽdit ad superficiem & facit surditatem. si verò sanguinis sit fluxus, siue ventris, resoluitur affectus, eò quòd ipsa materies decurrat, ex qua fiebat surditas.

APHORIS. LXI.

FEbris nisi die critico desierit, recidiuatio timenda est.

Galenus dicit, Sæpius vidi ac cognoui in critico die iudicatam febrem, postea recidiuasse. Item vidi in critico die iudicatam non repetijsse. quid ergo? Hippocratésne mentitus est? Non. Videamus ergo quare hoc dixerit Galenus, ac talis est ratio. Si antea non præcesserint signa concoctionis, id est, aut capitis dolor, aut concoctio vrinarum, aut virtus valida in pulsibus, & adueniente critico die, natura aliquid eiecerit, nõ iudicat perfectè. nam certat natura & non valet expellere totam superfluitatem, vnde nõ perfectè iudicat. quando verò supradicta signa præcesserint, & in die critico, bona crisis fit, & perfectè iudicatur. Si enim in die critico non decreuerit, & alio die iudicata fuerit, tunc erit recidiua ægritudinis.

APHORIS. LXII.

QVibus per febres morbus regius ante ſeptimum diem accidit, letale eſt.

Videamus quid eſt morbus regius, aut vnde fiat, aut quare fiat ante ſeptem dies. Icteros græcè dicitur cutis defœdata. fit autem ex melancholico humore, quoties exuberauerit aut qualitate, aut quantitate. Qualitate, quum per conſuetudinem habet acceſſus peruios, & per ſe excreuerit. Quantitate, quando tumet iecur, & exprimit illum, ſui ſuperfluitate redundans. ita, quia leuior eſt, ſuperna petit. Quæras, cur potius oculos tingat, quàm aliud membrum. Indubiè quatuor modis accidit: vno, quia humoribus opportuni ſunt, vt ab eis citò tangantur, & colorem acquirāt: deinde, quia lenes ſunt & delicati: tertio, quia ſubtiles & aquoſi, vnde & facilius huiuſmodi humore inficiuntur: quarto, quia citò apparet in ipſis quilibet color. Talis ergo color ante ſeptem dies, malum eſt, quia non natura ſuperfluitatem expulit, ſed quantitas vicit.

APHORIS. LXIII.

QVibus per febres quotidie frigus accidit, quotidie febres ſoluūtur.

Hic quammaximè de typicis & interpolatis loquitur, quia ſi quotidie rigores erūt, quotidie erit ſolutio, & diminutio caloris. Item ſi rigor aduenerit, ſignum eſt ad ſuperficiem venire humorem, & roſionem excitare, ac minuere febres, quia euaporatur materies.

APHORIS. LXIIII.

QVibus per febres morbus regius die septimo, aut nono, aut quartodecimo acciderit, bono est: nisi ilia dextra obduruerint. Nam si hoc ita accidit, non bene est.

Nunc laudat morbum regium in febribus fieri, quia iam neutra est ægritudo, & natura validior eiecit ipsum humorem noxium ad superficiem. vnde fit iudicatio febris. Morbus enim regius (qui & arquatus dicitur) aut ex qualitate fit aut ex quantitate. Ex qualitate fit, quoties abundans fuerit biliosus humor, & sursum tetenderit, vnde & colores eorum tinguntur. Ex quantitate fit, quoties tumor fuerit in hepate. tumor nanque exprimit fel illud, iactátq; ad superficiem. Vnde si ex duritia hepatis arquatus fiat, bonũ est, quia relaxatio est aliqua. Si enim non fuerit arquatus, maius malum est.

APHORIS. LXV.

IN febribus si circa aluum calor vehemens ac dolor viscerum infestat, malè est.

In febribus si fortè calor vehemens fuerit, aut viscerum dolor, malum signum est, bilem vicisse naturam. Veniens enim ad stomachum, illic detinetur & excit mordicationẽ. Et quia stomachus vitiosus est, compatitur illi cerebrum, vbi est principium vitæ, & inde est malum totius corporis.

APHORIS. LXVI.

SI in febribus acutis,vētriculi morsus,& viſcerū dolor infeſtarit,malū eſt. Quòd ſi ſuperuenerit morbus acutus, mortale.

Acutam febrem dicit, vt cauſonem. dum ergo facit morſum billioſa materies veniens ad ſtomachum,qui duas mēbranas habet,neruoſas & carnoſas, in eum inter duas membranas ingreditur ipſa materies,& facit dolorem. & quum ventris & viſcerum dolor malum ſint,nulla ſpes vitæ, ſi acutæ febri acuta ſuperuenerit affectio.

APHORIS. LXVII.

IN febribus ſi pauores per ſomnum aut conuulſiones accidūt, malè eſt.

Conſideremus quot modis fiat pauor.Quippe multifariam accidit. Primùm euenit ijs quibus applicatur gladius, aut quibus ſubito perturbatio aliqua animi oboritur, aliiſque multis cauſis. Nunc pauorem vapor aliquis excitat, qui aſcendit ad cerebrum cuius ſubſtantia eſt alba. dum enim tincta fuerit ipſo vapore,& inde læſa,tunc ſenſus hominis quaſi in alienum ingrediūtur,nō cognoſcētes ſe,alienatur mens, & fit pauor, & ideo malum eſt,quia patitur totius corporis principium.conuulſionem ſæpius dixit aut ex repletione aut ex inanitione fieri,hic ex repletione fit. & quia nerui à cerebro oriūtur,materia abūdans in cerebro facit cōſtrictionē ac retractionem neruorū,& fit cōuulſio.Quid ergo aliud eſt cōuulſio niſi inuoluntarius motus,volūtaria obtinēs loca?

APHORIS. LXVIII.

IN febribus ſpiritus ſubſiſtens, malo eſt, quoniam conuulſionẽ ſignificat. Videndum quot modis ſpiritus ſubſiſtat. Tribus, aut ex nimia & acuta febre, aut ex abundante materia, aut ex debilitate virium. Cõuulſio verò ex debilitate nunc fit. Vnde malum dixit hoc eſſe Hippocrates. Aliquibus enim fit letale.

APHORIS. LXIX.

QVibus vrinæ craſſæ, grumoſæ, & paucæ ſunt, non ſine febri, ſi tenues & copioſæ prodierint, proderunt. Maximè verò tales exeunt ijs, qui ſtatim aut breui ſedimen habent.

Abſoluta ergo atq; digeſta ratione temporum & morborum, nunc vrinarum nobis profert rationẽ. Et quia vrinæ, totius corporis, vel ſanitatis, vel ægritudinis in ſpeculo demonſtrationes ſunt, neceſſariò eſt dicendum quid ſit vrina, aut quot modis inſpectio ipſa conſideretur. Vrina eſt colamentum ſanguinis, ex hepate veniens ad veſicam, vt ipſe in initio huius libri docuit. Videntur autem vrinæ tribus modis, aut ſubſtantia, aut colore, aut poſitione. Subſtantia, craſſæ an tenues: Colore, rubræ an nigræ, aut aliter coloratæ: Poſitione ſiue ſitu trifariam variat. aut ſurſum vergit, & dicitur ſuperior nebula, & oſtendit initiũ ægritudinis: aut in medio conſiſtit, & dicitur ſuſpenſum, & oſtendit mediam ægritudinem, aut ven-

tositatē totius corporis: aut in fundo matulæ re≈sidet,& dicitur subsidens.quod accidit trifariam, aut ex debilitate virium,aut non præsente mate≈ria, quando videlicet humor non contingit loca vrinalia,aut ex nimia cruditate & crassitudine re≈cidunt vrinæ præ pondere.Vnde vrinæ tales non sunt bonę in initio.Sed omnes vrinæ crassæ & gru mosæ ex crassa fiūt materia:tales autē non excer nuntur sine febribus.Quòd si tenues & copiosæ prodierint vrinæ,aut per naturam, aut per artē, bonum est.

APHORIS. LXX.

QVibus vrina turbulenta,qualis iu mentorum est , ijs dolor capitis vel adest,vel aderit.

Quæras hic:Quid ad vrinam capitis dolor?Ni mirum,quia cruditas humoris residet in stoma≈cho,& hepar secundum consuetam concoctionē non valet concoquere & ministrare nutrimentū. & sic colamentum sanguinis ad vrinam ex hepa te venit:vrina totius corporis significationē ostē≈dit.bene ergo dixit,quòd vrinæ capitis dolorem ostendant.Nam residens cruditas materiei in sto≈macho,suo humore cerebrum tangit,& extendit arterias,dolorémq; capitis facit.Bene item dixit, quòd capitis dolor vel adest,vel aderit.Dum igi≈tur medicus tales vrinas inuenerit,prędicat,quòd si non adest capitis dolor,mox aderit.Iumento≈rum ideo dixit,quia tales sunt,quales in equo aut mulo.Et quare tales vrinas excernit equus?Quia crassa abundat materia,hæc autem à calore agi≈

tata, vrinam turbulentam efficit.

APHORIS. LXXI.

QVibus ſeptimo die iudicatur ad ſalutem, iјs vrina quarto die nubeculam habet rubicũdam, & reliqua ex ratione.

In præſenti aphoriſmo docet Hippocrates, ꝙ ſi ſeptimo die iudicari debet ægritudo, quarto die talia præcedunt ſigna, hoc eſt, vrina nubeculam habet rubicundam. Galenus tamen dicit non ſemper id fieri. Conſideremus ergo quando ſemper id fiat, quando non. Sunt enim aliqua ſigna quæ ſunt ſemper, ſunt etiã quæ non ſunt ſemper. Suprà autẽ docuit Hippocrates, quòd quartus dies indicet ſextũ: ſexto verò veniente præcedunt ſigna ſeptimi, vt eo veniente ſit iudicatio, ſicut & nunc docet. Si quarto die præceſſerint tales vrinæ, & adueniẽte ſexto die fuerit dolor capitis, & virtus valida, ſeptimo die iudicabitur ad ſalutem. Si autem ſexto die aduenientе, iſta nõ acciderint, vel ſi quarto die non fuerint talia ſigna, nõ iudicabitur affectio ſeptimo die.

APHORIS. LXXII.

QVibus vrina candida, perlucida emittitur, malo eſt. deliris potiſſimùm talis euenit.

Nunc Hippocrates phreniticam vult oſtendere paſſionem. Aliqui autẽ interpretum dicebant, quòd illis viſum eſt, idem eſſe perlucidum & album. quoniam id quod perlucidum eſt, etiam al-

bum eſt. Sed hi conuincuntur ratione. Quia non continuo ſi quid eſt album, idem & perlucidum erit. Verbi gratia, aqua perlucida eſt & alba: lac verò album eſt, perlucidum tamen non eſt. Sed quo modo tales vrinæ phreniticã oſtendunt paſſionem? Sciendum, quòd qualis fuerit materia, talem ſignificat ægritudinis ſpeciem. & vt figulus tale effingit vas quale habuerit lutum: ſic etiam qualis fuerit materia, talem ſignificat vrinã. Hæc ergo vrina ex phlegmatica fit materia. Sanguis, ſandaraches modo coloratam efficit vrinam: cholera, rubram: atra bilis, nigram. Sed phlegmaticus humor ideo talem vrinam efficit, quia craſſitudo illa phlegmatica cerebrum tangens arterias extendit, & concauitates replens phreniticam inducit paſſionem. Vnde & in infantibus quammaximè iſtud contingere ſolet. quia dicimus phreniticam paſſionem fieri ex nimia ſiccitate, aut ex nimia humiditate. Si igitur ſanguis nimiũ abundans putruerit, inficit vrinam, quæ eſt ipſius ſanguinis colamentum. & ſic ſandaraches modo coloratam reddit. Cholera verò ideo rubram facit vrinam, quia ex procreati ſanguinis colore naſcitur. Atra bilis ideo nigram reddit, quia ex fellita corruptione naſcitur.

APHORIS. LXXIII.

QVibus præcordia ſuſpenſa murmurant, ſi lumborũ dolor acceſſerit, ijs alui admodum humectantur: niſi flatus erumpat, aut vrinæ copia prodeat, idq́; in febribus.

Interrogãdus nobis hic Hippocrates, quare dixerit præcordia ſuſpenſa, per quod intelliguntur tumentia. Sed videamus quid vocet præcordia. Præcordia itaque hic dicuntur, quæ media cartilago, id eſt, diaphragma diuidit ab inteſtinis. At, quare præcordia dixit, & non inteſtina? Certum enim eſt, quòd ſpiritus flatulentus in ipſis inteſtinis ſit, & inteſtina extendat, faciátq; tumorem, & ſic dolorem. Culpandúſne ergo erit Hippocrates qui præcordia & non inteſtina dixerit? Minimè. Fieri nanq; poteſt, vt ſpiritus flatulentus in vtriſque ſit, & in præcordijs, & in inteſtinis. Magis autem excitat dolorem circa lumbos, quia inteſtina extenſa lumbos premunt, & ſignum eſt, ꝙ ventris erit ſolutio, aut vrinæ copia. Alia item oboritur quæſtio: Si morbus eſt intra inteſtina, quomodo per vrinam egreditur? Reſpondemus: Quia ipſe ſpiritus flatulẽtus ex ſuperioribus partibus ad veſicam deſcẽdit, & illud quod tenue eſt per vrinam excernitur. Et vt breuiter dicam, illud quod ab hepate trahitur, per vrinam excernitur: illud autem quod in ventre remanet per ani meatum educitur. Deinde, à medicis poteſt fieri, vt ea quæ in inteſtinis ſunt, per inuiſibiles cauernas ad veſicã trahãtur: quod fit quoties medicamẽto fuerit excitatꝰ dolor, aut ſi fuerit febris, aut vt ſolẽt medici facere, ex arte calida adhibendo præſidia.

APHORIS. LXXIIII.

QVibus ſpes eſt in articulis abſceſſum futurum, liberantur per abſceſſum.

Hoc docet, Si cui fuerit ex ægritudinis vehementia abſceſſurum in articulos, verbi gratia, in genu, & fuerit abſceſſus factus in talũ, liberabitur corpus per abſceſſum. Sic itaq; quoties in arterijs fuerit, ex fluxu humoris è capite, locus ille per quẽ eruperit, liberat corpus à periculo. quia ſi ſuo loco erupiſſet, in faucibus eſſet abſceſſus.

APHORIS. LXXV.

VRina craſſa, copioſa & alba effecta, qualis in febribus laborioſis quarto die nõnullis exire incipit, leuat. Sed ſi ſanguis quoque è naribus eruperit, breui admodum leuabitur.

Sæpius diximus quædam eſſe naturalia, quædam non naturalia, & quædam contra naturam. Non naturalia ergo in medio conſtituta ſunt. fieri nanq; poteſt vt albam hanc vrinã febriens excernat, & item ſanus eodem modo. Sed ex vnáne materia fit, an ex multis? Indubiè non ex vna. nã de laborioſis febribus dicit, vt eſt Hemitritæus, aut duæ tertianæ, quæ ex cholera & phlegmate fiunt. Vrina ergo alba ex pituita fit, craſſa ex febre, quæ fit ex bilis abundante materia. Et quando fit? Quarto ſanè die, quando perturbatur natura, vt indicet ſeptimũ diem. Si autem ſanguis è naribus eruperit, breui admodũ leuabitur ægrotus. quia & hoc ſignum bonum eſt.

APHORIS. LXXVI.

SI ſanguis aut pus effluit per vrinã, exulcerationem aut renum aut ve-

ſicæ ſignificat.

In præſenti aphoriſmo, Hippocrates duo loca nominat, renes, & veſicam: duo itemq́ hepar videlicet & penē non nominauit, per quæ omnia vrina miniſtratur. non enim continuò in veſicā deſcendit. & quanuis naturæ datum ſit, vt ex volūtate mingat, tamen ad continendum nō ſufficeret virtus. Sed quia vrina colamentū eſt ſanguinis, fertur ab hepate per duos meatus vrinarios (qui græcis dicuntur vreteres) ad renes, itémque à renibus in veſicam. Veſica enim duas membranas habet, in quarum medio poſitus eſt meatus qui veſicæ miniſtrat. quando ergo in veſica miniſtratur vrina, membrana illa interius tenditur & claudit meatū illum, retinetúrq; vrina. at vbi receſſerit extēſio, emittitur vrina. Ideo autē Hippocrates media loca nominauit, vt extrema intelligas. Sed cur ſanguis & pus effluit? Quia ſicut in dyſēteria ſanguis & pus manāt, ita & hic. Sāguis ergo ex ruptura fit, pus autem ex exulceratione.

APHORIS. LXXVII.

QVibus cum vrina craſſa carūculæ exiguæ, aut veluti capillamēta exeūt, ex renibus ijs excernitur.

Hoc ex duplici fit materia, ex ſanguine videlicet & phlegmate. Nam quædam ſunt animalia quæ ex humoribus fiunt in corpore noſtro, propter loci qualitatem, vt lumbrici, & in arterijs & venis grumi: quia naturalis calor ſanguinem conſtringens facit grumos. Sic etiam in iſtis calor ſuperueniens, ex phlegmate calculos, & ex ſangui-

ne veluti capillamenta facit, in meatibus vrinarijs, propter qualitatem loci: quemadmodum figulus ex argilla humida facit figuram aliquam, & ponit ad ignem, & quod antè fuit lutum, lapis efficitur.

APHORIS. LXXVIII.

QVibus cum vrina crassa furfurea quædam exeunt, ijs vesica scabie affecta est.

Dicunt hoc & in marasmo, & in hectica febre similiter fieri: sed in illis tota corporis habitudo consumitur, in scabie verò vesicæ, tantùm furfurea quædam sunt in vrina: quia non ex alio loco potest vrina ducere furfures, quàm vesica.

APHORIS. LXXIX.

QVicunque repente & sponte sanguinem mingũt, ijs venulam ruptam esse in renibus significatur.

Videamus quare in renibus venula rumpatur, & non in vesica. Nimirum, quia venæ quæ in renibus sunt, tenuiores sunt ijs quæ in vesica, & hæ se habent secundum loci qualitatem. Quæ enim sunt in renibus, hoc est, quæ vreteres dicuntur, aliquando aperiuntur, aliquando clauduntur. Dum ergo clausæ fuerint & incorruptæ, vrinam ministrant: dum apertæ & corruptæ, sanguinem. vrina verò quanto tenuior est, tanto facilius per locum angustum excernitur. Sanguis autem quanto crassior & glutinosior est, tanto difficilius per angustum locum egreditur: sanguis ergo iste ex renibus fertur, non ex vesica. Aliud autẽ est quod

dicit repentè, aliud spontè. Repentè enim est subito, spontè autem ex natura.

APHORIS. LXXX.

QVibus in vrina desident arenosa, ijs calculo vesica laborat, vel renes.

Nunc de calculo instituit dicere. Sed quia quibusdam ætatibus est in vesica, quibusdã verò in renibus, videamus quibus sit in renibus, & quibus in vesica. Sciendum, aliud esse patiẽs, aliud agẽs. patiens est materia phlegmatica, in infantibus: agens verò, calor in maioribus. Infantes ergo in vesica habent, quòd in renibus venas paruas habeant. Maiores verò in renibus habent, & non in vesica, quòd maiores habeant venas. Deinde quia infantes qualitatem passiuã habent, actiuam non habent. Iuuenes autem actiuam habent qualitatem, passiuam non habent, quia exercentur. Deinde quia fortiores habẽt venas in renibus, infantes verò in vesica.

APHORIS. LXXXI.

SI quis sanguinẽ mingit, & grumos, & guttatim emittit vrinam, ac dolore ad ventrẽ imum, & pectinẽ, & femen vexatur, morbis circa vesicam laborat.

In hoc aphorismo ostẽdit Hippocrates, quomodo morbus morbum generat. Sciẽdum verò, sanguinẽ duobus modis erũpere, aut propter abundantiam, aut propter exasperationẽ venæ. Nunc propter exasperationẽ venæ erumpit. Paulatim

autem exiens, grumos facit: grumus autem ſtillicidium vrinæ. Multis verò modis vrinæ ſtillicidium accidit, aut ex debilitate expultricis virtutis, aut ex tumore meatuum, aut ex oppilatione craſſæ materiæ, aut ex frigore, aut ex grumis. vnde & nunc fit, quia obturant. Et quia grumus iſte in ſeminalibus vaſis, ac veſicæ ceruice ſe cõtinet, omnibus ſuprà dictis locis dolorẽ facit. Sed quomodo hoc cognoſcere poterimus? Quando ſanguis aut grumi cum vrina excernuntur.

APHORIS. LXXXII.

SI quis ſanguinem, aut pus, aut ſquamulas mingit, & cum graueolẽtia in vrina, exulceratio veſicæ ſignificatur.

Vnde cognoſcemus veſicæ eſſe iſtam exulcerationem, & non renũ? Duobus ſanè modis, Vno, quia ſanguis, vt ſuprà oſtendimus, ex veſica potius quàm ex renibus fluit: Altero, quia graueolentia vrinæ indicio eſt, non è renibus eſſe illum ſanguinem. ſi enim hoc eſſet, emiſſo ſanguine dolor mitior redderetur. Dum ergo hæc duo videris, ſcias ex veſica eſſe potius, quàm ex alio loco.

APHORIS. LXXXIII.

QVibus in vrinaria fiſtula tubercula oriũtur, ijs ſuppuratione facta & eruptione, leuatur dolor.

Tumor qui in iſtis fuerit locis ſemper in abſceſſum conuertitur, quia locus per ſe calidus eſt. vnde etiam fit vt citius fiat ſaniei eruptio. Non eſt ergo neceſſe calida illic præſidia adhibere. Quũ autem in fiſtula vrinaria tubercula fuerint, vrina

more consueto non excernitur:facta autem eruptione,continuo leuatur dolor.Inde igitur cognoscitur talis vrinę defectus,quòd secundum suam naturam postea excernatur vrina.

APHORIS. LXXXIIII.

MIctio noctu copiosè facta,exiguã fore deiectionem significat.

Quæstio hic nobis oboritur, cur, si copiosa sit vrina, exigua fit deiectio alui? Aut cur dicit nocte copiosam emitti vrinam? Sciendum,in corpore nostro quatuor esse virtutes naturæ inseruientes, hæ sunt assumptio, concoctio,nutrimentum & excretio. Prior ergo est concoctio nutrimẽto. Sed si quantum assumimus,tantum in nutrimẽtum verteretur, noxium esset corpori. Prima ergo concoctio in ventriculo fit . Si autem magna fuerit concoctio,deiectio alui minor erit,& hepati subministratur maxima pars nutrimẽti,ac plus descendit in vesicam quàm in ventrem . quia dictum est, vrinam esse colamentum sanguinis ex hepate venientis. Si verò minor fuerit concoctio in ventriculo, maxima erit excretio alui, & minus ministrabitur hepati,quãto autem minus habuerit hepar,tanto minus erit vrinæ.Noctem interpretes comparauerunt hyemi,& diem æstati, propter calorem in hoc maximum, in illa minimum.Sic & nunc dicimus calorem naturalem & virtutes operatiuas noctu intus detineri.calor autem naturalis concoctionem vel excretionem sic celerius facit.

APHORIS. LXXXV.

QVibus febricitãtibus in vrinis sedimina similẹ speciem referentia fiunt, longam ægritudinem fore significant.

Sedimina similæ habentia speciem multis modis fiunt, aut ex cruditate humoris, aut ex inflatione quæ corpus corrũpit, aut ex fluxu humorũ è capite, quem rheumatismum dicunt. Hæc autẽ de quibus hic sermo est, ex crasso fiunt humore. vnde longam significant ægritudinem.

APHORIS. LXXXVI.

QVibus autẽ biliosa sedimina sursum, & vrinæ tenues, acutũ morbum significant.

Tales vrinæ ex biliosa fiunt materia. & quemadmodum humor biliosus est acutus, sic acutum generat morbum.

APHORIS. LXXXVII.

QVibus verò instabiles vrinæ videntur, his tumor solidus in corpore est.

Instabiles vrinẹ tribus modis fiũt, aut ex oppilatione meatuũ, aut ex crassa materia, aut ex virtute debili, quæ non operatur cõcoctionem. Istæ maximè fiunt ex crassa materia, & oppilatione meatuum, quia dicitur turbatio, hoc est, confusio humorũ. Vnde videntes indocti medici tales vrinas, existimant esse quasi frigidas. dum enim vident, mox relaxationem corporis moliuntur, id

est, venæ sectionem.

APHORIS. LXXXVIII.

QVibus in vrina supernatant bullæ, aut vrinæ speciem habent saliuæ, phrenitidem ostendunt, & longam ægritudinem futuram.

Istud ex phlegmate accidit in spiritum flatulentũ resoluto, cuius qualitas ad cerebrũ ascẽdẽs, phrenitidem facit. Lõgam verò ægritudinem significat, quia crassa materia, tardius attenuatur.

APHORIS. LXXXIX

QVibus sedimen crassum & multum, his nephriticam & acutam ægritudinem significat.

Quibus crassum & copiosum fuerit sedimen, nephriticam affectionem significat & acutam ægritudinem, quia quod crassum est infrà decurrit, veniens autem ad renes exhalari non potest. vnde acutos excitat dolores.

APHORIS. XC.

QVibus nephriticis prædicta signa eueniũt, dolores autẽ acuti circa musculos spinę fiunt, si quidẽ circa exteriora loca fiunt, abscessus magis expecta in interiore parte.

Si signa illa fuerint, hoc est, crassum & multũ sedimen, & dolores fiant circa musculos spinæ, idq; loco exteriore, expectato abscessum parte in-

teriore.quatuor enim ſunt muſculi, quorum nomina in anatomicis habentur, duo videlicet qui per ſpinam deſcendunt, & corpus dirigunt, duo item qui intus ad inguina veniunt, qui vuluam mulieris continent, & oſſa illa quæ aperiuntur: quum mulieres pariunt. Vnde graues patiuntur dolores. Duo illi qui per ſpinam veniunt, à renibus deſcendunt, & ob hoc dicit, ſi fuerit nephritica affectio, & dolor muſculorum iſtorum, abſceſſum faciunt ex ipſo humore in parte interiore.

APHORIS. XCI.

QVibus pus eſt ĩ articulis, eruptio liberat ab abſceſſu.

Hic oſtendit: Si cui fuerit dolor ac tumor ex ægritudine, & euaſerit ad talia loca, hoc eſt, ad articulos, verbi gratia, in genua, aut talos, & ibi fuerit facta eruptio, liberatur is locus per abſceſſum. Similiter, quoties in arterijs fuerit tumor ex fluxu humoris è capite, tunc locus is per quem facta fuerit eruptio, per abſceſſum liberatur à periculo. ſi autem non eruperit, in fauces deſcendit.

LIBER QVINTVS.

APHORISMVS I.

Conuulsio à veratro letalis est.

Absoluta quarta particula in qua Hippocrates ægritudinum nobis cognitionem dedit, item inspectionem totius corporis vel ægritudinũ, hoc est, vrinarum differētias, nunc transit ad quintam particulam, dicens à veratro fieri conuulsionem. Sæpius antè docuit, conuulsionem aut ex repletione fieri, aut ex inanitione, quomodo nunc dicit ex alia causa fieri? Dicimus, ex his duabus causis fieri conuulsionem, nec ex alijs. Veratrum autem arefacit & desiccat humorem naturalem, extenuat musculos, debilitat neruos, & hæc omnia ad inanitionem faciunt. quæ autem erit spes vitæ, quum à pestifero præsidio acciderit peracuta affectio?

APHORIS. II.

Conuulsio à vulnere letalis est.

Videamus de quali vulnere dicat, aut quo in loco nascente. Sciendum de his tantum vulneribus Hippocratem loqui, quę in membris principalibus fiunt. Nam si fuerit vulnus in membro principali, vt est hepar, aut cerebrum, & fiat conuulsio, letale est: quia significat aut debilē esse virtutem, aut abundantē in eo membro materiam.

APHORIS. III.

Sanguinis multæ profusioni, cõuul-

ſio aut ſingultus ſuperueniens, malo eſt.

Sanguis toti corpori nutrimentum miniſtrat, qui ſi profuſus fuerit, & ex profuſione, aut commixtione, aut inundatione nata fuerit conuulſio, aut ſingultus, quia vtræque hæ affectiones ex inanitione fiunt, malum eſt. quia virtus imminuitur & nutrimentum naturæ non miniſtratur.

APHORIS. IIII.

IMmoderatę purgationi, cōuulſio aut ſingultus ſuperueniens, malum eſt.

Immoderata purgatio eſt, quoties quis multū aſſumit, & multum excernit ac debilitatur, vt ſi quis veratrum acceperit aut aliud ſimile, & ex tali inanitione naſcatur cōuulſio, malum eſt, & aliquando mortale. Nā tres ſunt ordines apud Hippocratem, malum, peſſimum, mortale.

APHORIS. V.

SI ebrius quiſquam ſubitò obmutuerit, conuulſus emoritur, niſi prehenſus à febre ſit: aut quum ad eam venerit horam qua crapula ſoluitur, facultatem recipiat loquendi.

Ebrij dicuntur qui multum vini potando mēte alienantur. Vnde & mouere corpus volunt, & pedes agitare, ſed nō valent. Vinum enim aſſumptum calidum eſt, quod immodice potum in frigus conuertitur. Si igitur quis ebrius ſubitò obmutuerit, malum eſt, quia repletæ ſunt concauitates cerebri. & ſic conuulſio fit, quia patiuntur nerui qui à cerebro procedunt. quum autem pa-

titur principiũ, quo modo nõ patietur hoc quod à principio procedit? Febrẽ verò dicit curare hũc affectum, quia resoluit ea quæ infrigidata sunt à nimio vino. & nunc per contrariam curari vult affectionem. Huiusmodi enim conuulsionem ex frigore ortam, curat febris quæ motu suo excitat calorem. Horam dixit, vt consideret medicus qua hora soleat crapula solui, vtputa septima hora aut nona. Si soluta non fuerit crapula, malũ est, quia significat totam habitudinem, & virtutes naturales esse infectas. Si autem loquutus fuerit qua hora solita est crapula solui, non est malum.

APHORIS. VI.

QVi à distentione prehendũtur, intra quartum diem intereunt. Si tamen hos euaserint, cõualescũt.

Superius enim dictum est, peracutũ morbum intra dies quatuor iudicari. Peracutus enim morbus dicitur, qui quarto die iudicatur. Si autem quartũ diem transierit, iam nõ est peracutus morbus, neque periculum est mortis.

APHORIS. VII.

COmitiales quibus ante pubertatem accidunt, mutationẽ recipiũt: quibus anno vicesimoquinto, cõmoriũtur.

Hoc dicit, Si acciderit morbus comitialis ante pubertatẽ, id est, ante pubertatis ætatem, aut antè quàm ad iuuentam perueniatur, mutationem recipit, quia est immutatio tẽporis, ætatis, & humoris. Si autem vigesimoquinto anno acciderit, iam non est spes immutationis.

APHORIS. VIII.

COnuulsioni aut distētioni febris acuta superueniēs, soluit ęgritudinē.

Vtræque hæ affectiones ex vna fiunt materia. Vniuersalem verò affectionem vniuersale curat præsidium, quod est febris.

APHORIS. IX.

QVibus costales non repurgantur intra quartumdecimum diem, ij in suppurationem vertuntur.

In isto aphorismo ostendit, Si quis costali morbo laborauerit, quartodecimo die iudicatur. ibi enim crisis ipsius ægritudinis est, aut ad vitam, aut ad mortem. Videamus ergo quare tūc iudicatur. Pone, exempli causa, esse materiā tenuem, & virtutem calidam, veniente quartodecimo die iudicatur ægritudo. Si enim fuerit virtus debilis, & abundans materia, adueniente die quartodecimo certant humores cum virtute. Virtus ergo & natura non valentes expellere humores, in aliā mutant affectionem, id est, ex costali fit empyema, hoc est, suppuratio thoracis. hæc autem suppuratio nisi intra quadragesimū diem purgetur, transit in phthisin quæ est exulceratio pulmonum, & totius corporis consumptio.

APHORIS. X.

TAbes maximè fit per ętates, ab anno decimooctauo, ad trigesimum quintum.

In hac nanque ætate fit densitas, quia multum

exercitantur:tunc enim exercitijs apti ſunt. Vnde & Romanorum lex hanc ætatem probat: & quos antiqui volebant ad bellum educere,ab anno decimooctauo aſſumebant. Nam antè,à quartodecimo vſq; ad decimumoctauum leuioribus quibuſdam exercitijs exercebantur.ab anno autem decimooctauo vſq; ad trigeſimumquintum ad arma mittebantur: à trigeſimoquinto vſq; ad ſexageſimũ,tribuni erant:à ſexageſimo verò cõplebant militiam, & accipiebant honoris dignitatem, & rude donabantur, licebátque illis quod voluiſſent agere. Ab anno igitur decimooctauo vſq; ad trigeſimumquintum fit maximè tabes: quia qui huius ſunt ætatis,currunt,& iactant ſeſe, & incompoſitè comedunt. hæc autem omnia attenuãt. Tabes verò ſiue phthiſis nihil aliud eſt, quàm conſumptio totius corporis, quæ maximè in iſta ætate fit:poſt hanc,non item.

APHORIS. XI.

QVi anginam euaſerint, ijs in pulmonem abſceditur, & intra ſeptenos dies intereunt. Si tamen hos dies euaſerint,ſuppurantur.

Angina morbus eſt acutus, & locum ſubinde mutat,ac fit peracutus. Nam ex faucibus tranſit ad pulmones,vnde facit peripneumoniam,& intra ſeptimum diem moriuntur. aduenientes autem ignari medici credunt ſanos eſſe: docti verò cognoſcunt quòd ad pulmones deſcẽderit angina,& prædicũt ſeptimo die morituros. Sed quomodo cognoſcemus vtrum morientur? Dicimus,

id futurũ quando humores vincunt naturam. Vnde autem cognoſcemus deſcenderítne angina ad pulmones an non? ex vrináne? Non. Sed cognoſcetur ex loco vicino, ac proprio ſigno, id eſt, per pulſum: quia cor vicinum eſt pulmonibus, nec vlli membro ſic compatitur vt pulmonibus, & his ex quibus officium habẽt. per pulſum ergo optimè cognoſcemus, vtrum ad pulmones deſcenderit angina an non. Si autẽ ſeptimus dies tranſierit, è peripneumonia vertitur in ſuppurationem.

APHORIS. XII.

QVi tabe infeſtãtur, ſi quod deſpuunt & extuſſiunt grauiter olet in ignem impoſitũ, & capilli defluunt, letale eſt.

Vult oſtendere in præſenti aphoriſmo, quomodo cognoſcentes tabem, alicuius vitam vel mortem valeamus prænuntiare: & dat ſigna quibus mortem poſſit medicus prædicere, dicẽs: Si quod deſpuunt & extuſſiũt grauiter olet in ignem impoſitum, mortale eſt. Quòd grauiter olet, ſignificat craſſam eſſe materiam, & multo tempore in loco putrefactam. Videamus nũc quare ſputum in ignem impoſitum puteat. Id fit duobus modis, Primùm, quòd humectatione careat, vnde antea grauem odorem non reddebat: Deinde, quia craſſa calore reſoluta, odorem ſiue bonum, ſiue malum emittunt. Dat & aliud ſignum mortis, inquiens: Si capilli defluxerint, mortale eſt. Videamus quot modis in tabe capilli defluant. Tribus nimirum: vno, ex debilitate viriũ: Deinde, ex diminuta

materia: Tertio, quòd cerebrum ſimul patiatur. quæ autem erit vitæ ſpes, vbi ipſum principium patitur?

APHORIS. XIII.

QVibus per tabem capilli defluũt, ij ſuperueniẽte alui fluxione, moriuntur.

Ponit aliud ſignum de tabe: *Si, inquiens, capilli defluant & ſuperuenerit ventris profluuiũ, mortale eſt*: quia tria principia patiuntur: Cor, quod temperiem non accipit: cerebrum, quod ex imbecillitate relinquit capillos: & hepar, ex debilitate virtutis retentiuæ.

APHORIS. XIIII.

QVi ſpumantem ſanguinẽ deſpuunt, ijs de pulmone educitur.

Hepar noſtrum ſanguinem in ſe continet, & totum corpus per venarum meatus ſanguine replet: ſed indiget à corde ſpiritu, vt ſanguinem illum magis augeat & impleat: cor ergo ſpiritum hepati tranſmittit. Indiget enim ſanguine ab hepate, vt ab ipſo nutriatur. Et quia cor vitæ noſtræ eſt principium, defertur ab hepate ad pulmonem ſanguis: pulmones enim ſubtiles ſunt, arterijs pleni, & ſecernunt mundiſſimum ſanguinem & tradũt cordi, vt inde nutriatur, & naturalem conſeruet calorẽ atq; ſpiritũ. Illud ergo quod remanet in pulmonibus, leue eſt atque ſubtile. Et ideo ſpumoſum exit, propter loci qualitatem.

APHORIS. XV.

TAbe detentis fluxio alui accidẽs,

letalis est.

Si debilē virtutem subsequitur fluxio alui, quæ magis debilitat, quæ erit vitæ spes, dum hoc acciderit?

APHORIS. XVI.

COstalis morbus die quartodecimo aut soluitur, aut in suppurationem vertitur. Suppuratio autem quadragesimo die purgatur, aut in tabem transit.

In præsenti aphorismo Hippocrates trium ægritudinum tempora ostendit, dicens: Si quis costali morbo laborauerit, & quartodecimo die non iudicetur ægritudo, significat virtutem & humores esse æquales. Et quid facit natura? mutat acutum morbum in longum, & quartodecimo die iam non dicitur morbus costalis, sed suppuratio. quia antè dictum est, morbos acutos die decimoquarto iudicari. Vbi autē suppuratio ad quadragesimum diem peruenerit, si valida fuerit virtus, & materies minor, iudicatur ægritudo. Si verò æquales fuerint, vt paulo superius dicebamus, tunc transit suppuratio in aliam ægritudinem, hoc est, tabem. Tabes enim duobus modis dicitur, aut enim tumor est in pulmonibus, aut consumptio totius corporis: hic autem ex consumptione dicuntur tabidi.

morbus acutus xiiij. die iudicat

APHORIS. XVII.

CAlida, detrimēta hæc infert, ijs qui immodicè vtuntur, carnis effœminationem, neruorum incontinentiam,

mentis torpedinem,ſanguinis profuſionem, animæ defectionem:è quibus abolitio ſequitur.

Abſoluta atque digeſta ratione de ægritudinibus,& de vrinis, nunc quoque vult Hippocrates quarundam qualitatum rationem oſtendere:quid poſſit calida efficere,quidve frigida. Sed interrogandus eſt hic Hippocrates,qui dixerit, calorem eſſe naturæ amicum,frigus autem inimicũ: Nũc autem qua ratione dicit calorem nocere & mortem inferre? Reſpondemus, Hippocratem nunc loqui de calore immodico.Dicit enim, Calidam ijs qui immodicè vtuntur, carnis effœminationẽ inferre,eò quòd diſſoluat. & reliqua quæ prædicta ſunt omnia infert,quæ etiam mortem aliquãdo inferunt.

APHORIS. XVIII.

FRigida conuulſiones, diſtentiones, liuores, rigores febriles.

Nunc de frigida dicit, oſtendens eã conuulſiones & diſtentiones inferre, quæ ex eadem materia,præcipuè frigida oriũtur.Liuores verò infert frigida,quia quæcunque à calore relinquuntur,liuida efficiuntur: quale eſt cadauer hominis mortui.Rigores item febriles facit,quia condenſat ſuperficiem,& cohibet calorem.

APHORIS. XIX.

FRigida,oſſibus,dentibus, neruis, cerebro,medullæ dorſali, inimica eſt. calida verò amica eſt.

Conatur oſtendere quibus membris contraria & inimica ſit frigida, dicítque, oſſibus & dentibus aliíſque membris quæ ſua natura ſunt frigida, frigidam eſſe inimicam. Sed quomodo oſſa quæ inſenſibilia ſunt, habẽt inimicum? Dicimus, non ſolùm ſenſibilia, ſed etiam inſenſibilia habere inimicũ, vt eſt lapis qui ab igne corrumpitur, & reliqua eiuſmodi. Hac autem ratione dicit frigidam oſſibus, & neruis, dentibúſque ac reliquis quæ per ſe frigida ſunt, eſſe inimicam, quòd frigus frigori, augmento eſt. quæ autem nimis augentur ſuperflua fiunt, ſuperflua verò ægritudines gignunt, atque ideo frigus frigori inimicum dixit. Dentes enim noſtri habent quandam vim inſitam vt ſentiãt quæ aſſumũt, adeò vt ſiue calidum ſit, ſiue frigidum quod aſſumitur, ſentiant, & quãuis oſſa ſint, habent tamen intus quiddam ſenſibile, ideóꝗ inimicam habẽt frigidã, & ab ea læduntur. Medulla autẽ dorſalis, cerebrum, aliáꝗ membra ſuperius poſita, frigida ſunt ſua natura. quare & ipſa, frigidam habẽt inimicam, propter cauſam videlicet antè dictam. Calidam verò his amicam dixit, quia temperies non fit niſi ex contrarijs qualitatibus.

APHORIS. XX.

QVæ perfrixerint, calefaciẽda ſunt, exceptis his quæ ſanguinem profundunt.

In præſenti aphoriſmo docet, quòd ea quæ nimis perfrixerunt, calefacienda ſunt. & nunc laudat calorem in his quæ perfrixerunt. Conſidere-

mus quid velit. Nã & illos affectus suprà dictos calefaciendos docet, si ex frigore acciderint:illos verò qui sanguinem profundunt,præcipit nõ calefaciẽdos. Nimirum quia in illis suprà dictis, soluitur calore frigus : in his autem quibus sanguis fluit, calor magis aperit & relaxat.

APHORIS. XXI.

FRigida vlceribus mordax est, cutem obdurat, dolorem insuppurabilem mouet, liuorem trahit, rigores febriles, conuulsiones, distentiones inuehit.

Frigidam dicit vlceribus esse mordacem, quia superficies nostra neruosa est, & celerius sentit, siue frigus siue calorem. Cutem obdurat frigida, quia superficiem constipat, & constringit. Dolorem insuppurabilem, ideo facit, quia suppuratio siue sanies non fit nisi ex calore & humectatione. Liuorem facit, quia absente calore liuidũ redditur membrum. Rigores febriles, conuulsiones, & distentiones ex ipso frigore fiunt.

APHORIS. XXII.

NOnnunquam per distentionem sine vlcere, iuuene bene corporato, æstate media, frigidæ larga perfusio reuocat calorem. calor autem mala hæc tollit.

Quale id est, quod nũc facit Hippocrates? Antè vituperauit frigidam, nunc contrà laudat. Sed istud magnorum atq; sapientum est, vt pòst lau-

dent,quod ante vituperauerint. quod Hippocrates nunc de frigida facit.loco suo illam vituperauit,nunc loco suo laudat.Sed interrogare Hippocratem libet,cur dicat distentionem frigida curari,quum ex frigore fiat. quomodo frigus frigore curabitur? & cur dicit distentionem sine vlcere? Sciendũ quòd si fuerit vlcus in loco neruoso,hoc facit distentionem,atq; ob id dicit,per distentionem sine vlcere in iuuene bene corporato & carnoso, (quia idem calidus est, & cito euaporationem patitur)media æstate(quando videlicet caniculares sunt dies, & euaporatio facilius fit)frigidæ larga perfusio reuocat calorem,calor autem distentionẽ curat,& aufert. Quia omnia illa euaporationem faciebant, dum autem calor euaporatur,frigus magis dominatur,quod affectionem parit.Sed frigidæ perfusio meatus constringit & claudit, qui clausi ægritudinem & calorem adunãt,calor verò adunatus affectionem tollit.Nam omnis curatio duobus præcipuè modis fit, aut à contrario,aut à simili. Sic frigida superfusa curat frigus, quia frigus calorem constringit, calor autem ægritudinem curat.

APHORIS. XXIII.

CAlida,suppuratoria vlcerum omnium est, excepto vulnere recẽti, summum securitatis præstat indicium,cutem mollit & extenuat, dolorẽ sedat,rigores & cõuulsiones lenit,distentiones mitigat, capitis autem grauitatẽ

ſoluit,oſſibus fractis plurimum prodeſt, ſed præcipuè ijs quæ exuta ſunt:eorúmque maximè ijs quæ vlcera habent capitis, & quæ ab algore vel moriuntur, vel vlcerantur. Nec non repentibus comeſis,ſedi, genitali,vtero, veſicæ,opitulatur. His calida amica & decretoria eſt, frigida inimica atque interimens.

Oſtendere vult Hippocrates, quid efficiat calida,& quibus affectibus amica ſit, dicítq; quòd ſuppuratoria eſt. Suprà enim dictum eſt, omne quod putrefit,à calore putrefieri.Excepto vulnere recenti,dicit, quia in tali malũ eſt calidam adhibere:quum enim calor calori additur,maior fit putrefactio. Vulneratis recenter,ſi calidam adhibueris, vberius fluet ſanguis. Sed poſtquam ſteterit vulnus & doluerit, calida purgantur & reparantur.Cutem mollit & extenuat,& aliquando ſine dolore rumpit.Vnde etiam in abſceſſibus calida adhibemus præſidia. Dolorem ſedat,quia calor mediocris mitigat dolorẽ.Rigores,conuulſiones, & diſtentiones curat, quia contraria contrarijs remedio ſunt. Capitis grauitatem ſoluit, quia grauitas capitis ex craſſo humore fit, quem calor reſoluit.Oſſibus fractis plurimum prodeſt. Tripliciter autem contingit oſſa frangi:Aliquando enim rumpitur & cutis & os,ſed os non exit. Aliquando rumpitur cutis & ſimul os,ac medulla foras erumpit.Vnde ſpes nulla eſt. Aliquando verò non rupta cute,os frangitur.In iſtis ergo ſo

mentationes oportet adhibere. Maximè ijs quæ vlcera habent capitis, prodest calida, quòd cerebrum frigidum sit & humidum. Et quæ ab algore moriuntur vel vlcerātur curat calida. Item repentia comesa (quæ græci herpetes dicunt) curat calida. Aliud verò est herpes, & aliud ignis sacer. Eis ergo quę vlcerata sunt iubet Hippocrates admouere calidam, vt magis putrefiant, quia ex bilioso fiunt humore. His autem quæ sine vlceratione sunt, non præcipit adhibere calidam, quia ex calore & humectatione fit eruptio. Sedi, genitali, vtero, & vesicæ opitulatur calida. Sed paulatim adhibenda est, quia hæc loca neruosa sunt & frigidæ naturæ, & ob id frigida est inimica, calida verò amica, quia calore gaudent & reparantur. Atque ideo congaudēt genitale & vterus calore, quia reparantur. & quò maior fuerit in eis concussio caloris, eò magis gaudent, adeò, vt aliquando tristetur natura, non debilitetur.

APHORIS. XXIIII.

VSus frigidæ, vbi sanguis profunditur aut profundetur: attamē non quà effluit, sed iuxtà inijciēda est. Quin etiam vbi inflammationes sunt, vel inflammina, ad rubrum, cruentúmve tendentia, sanguine recenti. Nam veteribus quidem nigredinem affert. Ignem etiam sacrum non exulceratum, iuuat: exulceratum, lædit.

Si cui sanguis è naribus fluat, illi frigidam a-

quam in nares immittamus,& si forsan non sistatur sanguis,iterum illi frigidam in faciem aut caput immittam. Sed timeo ne ad cerebrum perueniat,& lædat potius quàm iuuet. quidnam ergo faciendum? Considerabo locum vnde fluxus est:hoc est,si è dextera nare fluat,hepati adhibebo frigidam aquam. Si verò è sinistra,spleni similiter adhibebo. Sed illud considerandum est, ne forsitan tumor sit, & lædat potius quàm iuuet. Et si ruborem fecerit in facie, superfusa frigida, desinit rubor,vbi sanguis effusus fuerit. In vulnere verò nigro contraria est frigida. Ignem sacrum (quem erysipelas dicũt) non exulceratum iuuat. plus enim sanguinis habet quàm choleræ:sed vlceratum lædit:quia plus habet choleræ quàm sanguinis. Et dum frigidam superfundis,cohibes calorem,& celeriter putrefit.

APHORIS. XXV.

FRigida qualis nix,aut crystallus pectori inimica est,tusses mouet & sanguinem,& destillationem. Tumores articulorum & dolores sine vlcere, atque etiam podagricos dolores, & conuulsa, aqua frigida largè affusa,magna ex parte leuat:soluit dolorẽ & extenuat. Torpor enim mediocris dolorem mitigat.

Ponit hic Hippocrates niuis & crystalli comparationem cum frigida. Cõsideremus ergo quid sit nix,quid crystallus & quomodo fiant. Nix est aër in pluuiam resolutus,glacialium vẽtorum fri-

gore, superiora aëris perflantium cōstrictus. Crystallus gemma est lucidissima, quæ fit ex glacie multis annis in montibus concreta, hoc est, quum viginti aut triginta annos congelata est, vim liquoris amittit, vnde frigidissima est. Hanc ergo Hippocrates in exemplum sumpsit. Dicitq; *Si quis frigidam potauerit*, vt solēt nonnulli niuem comedere, inimica & contraria est, præcipuè pectori, quod sua natura frigidum est: & hæc facit in eo qui eam biberit, tusses, sanguinem & destillationem. Sed quomodo sanguinem mouet frigida, quum multò magis constringere debeat? Nimirum quia tussis nimia venam rumpit. Item nimium frigus ex compressione destillationem generat, quæ ex frigore ferè solet oriri. Tumores articulorum & dolores sine vlcere, & podagrici dolores, & conuulsiones, si frigidam largè superfuderis, curātur: cuius rei ratio iam suprà dicta est. Si enim affectiones sint è frigido humore, adueniens feruor euaporationem caloris facit, frigida verò constringit & cohibet calorem, calor crassitudinem soluit & extenuat. Item frigida superfusa torporem quendam facit, torpor dolorem mitigat.

APHORIS. XXVI.

AQua quæ citò calescit, & citò frigescit, leuissima est: quam oportet bibere eos qui noctu admodum sitiunt. & si superdormierint, bono est.

Nunc Hippocrates de virtutibus aquarū agit. Sunt autem multæ aquarum differentiæ, quædā

enim sunt marinæ,quædã sulphureæ, aliæ nitrosæ,aliæ albæ. Sunt item puteales. Aliæ præterea sunt aquarũ differẽtię,aliæ enim sunt lucidæ,alię turbulentæ:aliæ itẽ leues,aliæ graues. Sic nũc dicit Hippocrates, Si alicui sitienti volueris dare aquam,coques duas aquas, & quæ celerius calefacta fuerit, celerius item frigefacta, ea detur, quia leuior est. & quando dabis nocte,si superdormierit is qui bibit,optimum est. quia calor ad vitalia confugit,& nihil aquæ frigus lædit.

LIBER SEXTVS.

APHORISMVS. I.


Enses ducuntur suffitu aromatorum. quæ sæpe ad alios vsus reciperentur, nisi caput tentarent.

Absoluta atque digesta particula quinta, necessarium est ad sextam transire. In quinta particula docuit nos Hippocrates, differentias vrinarum & veratri. Item qualitates calidæ & frigidæ. Nũc migrans ad sextam particulam, de muliebribus affectibus vult tractare. Sunt tamen nõnulli, qui dixerunt Hippocratis non esse hunc sextum librum, sed adiectum ab alio quopiam, propterea ꝙ in hoc libro dicatur, ex mulso cognosci vtrum mulier grauida sit an non. Sed quare hoc dixerit Hippocrates, ratio infrà reddetur. Qui autem hoc dicunt, conuincuntur per Galenum, qui dixit librum hunc septem habere particulas, neque plures, neque pauciores. Item hæc de mulierum affectibus particula, Hippocratis est. quia conueniebat eum etiam de mulieribus aliquid tradere, de quibus nullus tam aptè tractasset quàm Hippocrates hic tractauit. Manifestum est ergo hunc sextum librũ Hippocratis esse. Sed videamus cur dicat menses suffitu aromatum duci, dicamúsq; quid sint mẽstrua. Nihil sanè aliud quàm cõsueta mulierum purgatio, quæ inuenit prouida natura, quia mulieres nimia putredine abundant.

menſtrua autẽ abundantis materiæ ſunt purgatio. Sũt autem quædam venæ quæ ab hepate ad matricẽ deſcẽdunt, deferentes menſtrualem ſanguinem, quæ aliquando ex craſſa viſcoſáque materia, aut ex tumore occluduntur, & mẽſtrua retinentur. Sed quæ ſint iſta aromata, aut quomodo iubeat fieri, nũc doceamus. Aromata ſunt, ſpica Indica, cardamomũ, calamus aromaticus, ſtyrax. ex quibus iubet fieri trochiſcos, & mitti in vas fictile, in quo ſint carbones, cuius orificium vuluæ orificio apponatur, ne vapor foras exeat, ſed intus permaneat. Aromata enim calida ſunt, & conſtipata relaxant, craſſa extenuant. & conſtricta aperiunt, ac menſtrua prouocant. & ideo vtilia ſunt omnia aromata, ſed capitis grauedinẽ faciunt, quia calor ſemper ſuperiora petit.

APHORIS. II.

MVlier prægnans ſanguine miſſo ex vena, abortum facit: & magis, ſi fœtus auctior eſt.

Hoc docet, dum in vtero habet mulier ex ſanguine menſtruali nutritur in vtero infans, & ſi ſubtractum fuerit id ex quo nutritur, hoc eſt, ſanguis, quomodo non abortum facit mulier? Maximè verò ſi fœtus auctior fuerit, qui magis indiget nutrimento.

APHORIS. III.

MVlieri grauidæ capi ab aliquo morbo acuto, letale eſt.

Mulier multis modis propter acutam ægritudinem abortit. Primùm, quia nutrimẽtum infan

ti non miniſtratur. Deinde,quia ſæpius exagita-
tur mulier. Tertio,quia duas res ſimul ferre non
poteſt, infantem videlicet, & acutam ægritudi-
nem. Nam vtrumque debilitat.

APHORIS. IIII.

MVlieri ſanguinẽ euomenti,ſi mẽ-
ſtrua erumpunt, ſolutio accidit.

Si cui mulieri ſanguis è ſuperiore parte mana-
uerit, id eſt, per vomitum: & menſtrua ſubſecu-
ta fuerint, deriuatio fit à loco ſuperiore ad infe-
riorem,per menſtruorum fluxum.

APHORIS. V.

MVlieri menſtruis deficientibus,ſi
ſãguis è naribus fluxit,bono eſt.

Mulieres ſingulis mẽſibus menſtrualem habẽt
purgationem. Si autẽ non euenerint menſtrua,&
ſanguis è naribus manauerit,bono eſt:quia quan-
uis ſecundũ naturam per menſtrua videlicet non
euacuetur ſanguis,euacuatur tamen per nares.

APHORIS. VI.

MVlieri prægnãti ſi aluus nimium
fluxit, periculum faciendi abor-
tum imminet.

Multis modis abortit mulier prægnans ſi cu-
currerit plurimum. Primum, quia matrix & in-
teſtina ſitu ſuo vicina ſunt & ſibi inuicem cõpa-
tiũtur. Deinde,quia debilitas cõcutit fœtum. Ter
tiò ex ipſo loco,quia leuatio concuſſionem facit.

APHORIS. VII.

MVlieri quam vitia vteri infeſtant,

aut quę difficulter parit, si sternutamentum superuenit, bono est.

Videamus quot sint vitia vteri, & de quibus Hippocrates hic loquatur. Multa nanque sunt vteri vitia, aut è fluxu sanguinis, aut ex tumore, aut ex spiritu flatulento. Nunc Hippocrates de illo loquitur vitio quo vterus ex spiritu flatulēto dolet, & ad stomachum trahitur. Tunc ergo si aut per artem, aut per se sternutatio accidat, resoluit dolorem, duabus de causis. Primum, quia motus calorem excitat, calor relaxat. Deinde, quia exagitatio repressionem facit. Quare autem ad facilitatem partus bona est sternutatio? Exemplo hoc discas & similitudine. Sit arbor poma ferens, si illius summas partes concusseris, decident poma. Sic etiam & vterus, cuius nerui originem habēt à cerebro, neruosus est, vnde etiam infantem continet, si autem concutiatur, emittit id quod continet, id est, infantem.

APHORIS. VIII.

SI mulieri mēses decolores nec semper eodem tempore proueniũt, purgatione opus esse significatur.

Consideremus quid sint menstrua, aut quare per singulos menses hæc purgatio fiat, aut quando secundum naturam. Menstrua sunt purgatio totius corporis muliebris. Prouida enim natura hæc inuênit, quia mulier superfluis humoribus plena est, & nisi menstrua fluerent, mulieres sanæ nòn essent. Vnde dicitur: Mulieres vnde gaudēt, inde tristantur: & vnde tristantur, inde gaudent.

Itaqꝫ per ſingulos menſes triſtantur, quod eſt vtile earum naturæ, & inde etiam gaudent, quia pulchræ fiunt. Triſtantur etiam ſi menſtrua non fluant, hoc eſt, ſi nulla eis fuerit humiditas. Quemadmodum tinctor acceptos rudes pannos, frigida aqua candidos facit, & qui antè arentes horrebant, bene loti nitent. Aliquæ mulieres ſingulis triginta diebus purgantur, & durat earum purgatio dies ſeptem. Aliquæ verò ſingulis viginti diebus, quarum purgatio quatuor diebus durat. Non autem eodem modo omnes, quædam enim, vt dictum eſt, citiùs, quædam verò tardiùs. Sed ad quotum vſque ætatis annum purgantur? Aliæ vſque ad annum quadrageſimumquintum, aliæ vſque ad quinquageſimum. Sed redeamus ad inſtitutum negotium, & inquiramus vnde cognoſcetur menſes eſſe decolores. Faciam ſupponi linteolum nouum in quo ſuſcipiatur ſanguis menſtrualis, & pòſt diluens aqua ſiccabo, & videbo vtrum ex bile ſit tinctum, aut melancholia, aut phlegmate: & ex quo videro infici menſtrua, congruentem dabo humorem, & purgabo ſecũdum rationem. Si verò non adhibuero purgans medicamentum, quoties non fluxerint menſes conſuetis diebus, venam incîdam.

APHORIS. IX.

SI mulieri vtero graui mammæ ſubito extenuantur & areſcunt, abortus ſequitur.

Dum mulier in vtero habet, vena quæ egreditur ab hepate & cõcaua vocatur, diuiditur in du-

as partes, vna ad mamillas fert ſanguinem, qui propter loci poſitionem in lac mutatur, altera ad vterũ. Nam antea non nutritur lacte infans dum adhuc in vtero eſt, vt dũ natus fuerit, habeat vnde ſuſtentetur. Et tale quid patitur in iſtis natura, quale paterfamiliâs dum vult egredi ciuitatẽ, prius ſibi cibũ tranſmittit, vt dum egreſſus fuerit, habeat vnde viuat. Sic & natura partem ſanguinis tranſmittit ad mamillas, & partẽ ad vterum. & quòd mamillæ areſcunt ac extenuantur, ſignificat eſſe indigentiã nutrimenti infantis, qui indigentiam non ferens, ſe voluendo rumpit mẽbranas, quibus in vtero continetur, & ſibi ad natiuitatem viam parat ac foras exit.

APHORIS. X.

MVlieri grauidæ geminis, ſi altera mamma extenuetur, alterũ, amittit. & ſi dextra mamma extenuata eſt, marem: ſi ſiniſtra, fœminã amittit.

Si altera mamilla extenuetur, hoc eſt, vtraque ſignificat, quòd geminos fert in vtero. & quæ harum mamillarum prima extenuata fuerit, ex ea parte amittitur infans mortuus, id eſt, ſi dextera, maſculum amittit mortuum, & fœminam parit. quia maſculus in dextera iacet parte, fœmina in ſiniſtra. Si verò extenuetur ſiniſtra, fœminã amittet mortuam, & marem pariet.

APHORIS. XI.

SI mulier non prægnãs, non puerpera, habet lac, mẽſtrua eius defecerũt.

Superius docuimus, venam eam quæ ab hepate egreditur, in duas diuidi partes. Nũc videamus quomodo ſanguis in mamillas veniens, in lac cõuertitur. Sciendũ, quòd immutatur ſanguis propter loci qualitatem vel poſitionem. ſicut & nũc in mamillis lac fit, quæ eodem modo ſe habent vt ſpongia. & quemadmodum ſpõgiæ habẽt cauernas, ſic & mamillæ tenues habent venas, quæ ſanguinẽ recipiunt. & quia candidæ ſunt & craſſæ, mutatur ſanguis in lac. verùm quum ſine conceptu lac fit in mamillis, ſignificatur, ꝙ propter aliquam operationẽ, pars ſanguinis quæ ad vterum deferebatur, ad mamillas dirigitur.

APHORIS. XII.

QVibus mulierib9 ſanguis in vbera colligitur, inſaniam indicat.

Hoc docet, Si alicui mulieri ſanguis in mamillis fuerit, & non valuerit illud in lac immutare, qualitas ipſius aſcẽdit ad cerebrum, & infert inſaniam, hoc eſt, mentis alienationem.

APHORIS. XIII.

SI noſſe libuerit an mulier grauida ſit, mulſum ei bibẽdum dato, quum itura cubitum eſt. Pòſt ſi venter torquetur grauida eſt: Sin minus, non eſt.

Multi, vt ſuprà diximus, per hunc aphoriſmum decepti, dixerunt nõ eſſe Hippocratis hanc ſextã particulam, ſed ab alio quopiam adiectam, propterea quòd Hippocrates cuiuſque naturam per interiora rimatus ſit, hic autẽ contra morem ſuũ, adfert extrinſecus petita medicamenta, quũ per

mulſum aliquid probandũ indicat. Nos verò hãc ſextã particulam Hippocratis eſſe aſſerimus, quia ab ipſius ſtilo non diſcrepat, & habet promptiſſimè diſtinctam aphoriſmorum ſeriem. Ergo inter ſeptem particulas hæc quoq; collocanda eſt. Sed reuertamur ad rem, & videam⁹ quare iubeat mulſum dare mulieri dormituræ &c. Sciendum itaq; vterum & inteſtina vicina & finitima eſſe. Mulſum autem bilem excitat, bilis verò ſpiritum flatulentum ſoluit. & quia, vt diximus, inteſtina, & collum vteri, atque veſicæ finitima ſunt, ſi in vtero habet mulier, mulſum premet meatus. ſpiritus ergo flatulentus egredi non poterit, qui faciet vt venter torqueatur. Si verò in vtero non habuerit mulier, ſpiritus ille egredietur.

APHORIS. XIIII.

MVlier ſi marem gerit, rubicunda eſt: ſi fœminam, pallet.

Bene rubicũda eſt, quæ marem vtero fert, quia magis calidus eſt mas, quàm fœmina.

APHORIS. XV.

SI mulieris prægnãtis vterum ignis ſacer infeſtat, letale eſt.

Ignis ſacer acuti morbi ſpecies eſt, qui ſi mulieri in vtero habenti acciderit, mortem infert. quia duas res natura ferre non poteſt, morbum videlicet acutum, & infantem.

APHORIS. XVI.

QVæ præter naturam tenues vterum gerũt, abortũ faciunt, priuſquam fœtus augeſcat.

Mulieres præter naturã tenues vterum habent marcidum & flaccidum, adeò, vt vteri latera lateribus penè coniungantur. Vnde fit, vt fœtus vbi iam auctior redditur ab vtero angusto quodãmodo quasi exprimatur, & sic abortire videntur.

APHORIS. XVII.

QVæ præter naturam crassæ concipere nequeunt, ijs vteri os ab omento comprimitur. Itaque impleri donec extenuentur, non possunt.

Hoc dicit in præsenti aphorismo, quòd quæ nimis crassæ sunt, non possunt concipere, præ nimia crassitudine: quia obturatũ & omento compressum est secundum orificium vteri, (duo enim sunt orificia) & non pertingit semen ad locum competentem, aut si fortè pertingat, præ nimia crassitudine expellitur.

APHORIS. XVIII.

MVlieres quæ mediocriter corpulentæ, abortum faciunt, secundo mense aut tertio, sine causa manifesta, ijs acetabula vteri plena mucoris sunt, ita, ne fœtum cõtinere possint: sed præ suo pondere prærumpat, elabatúrque partus necesse est.

Hoc docet in præsenti aphorismo Hippocrates: Si secundo vel tertio mense mulier abortiat sine causa manifesta, hoc est, casu qui solet eue-

nire, acetabula vteri plena mucoris ſunt, ex craſſitudine & pondere humoris. Nam acetabula ex illa ſunt vena quæ ab hepate ad vterum deſcendit: illa enim in multas diuiditur, quæ ad vterum perueniunt, & ſunt circa infantem intentæ. Vnde mulier dum parit tribus modis patitur dolorem: vno, quia iſtæ venæ rumpuntur: deinde, quia oſſa illa aperiuntur: tertio, quia cum vi deſcendit fœtus. Nam conceptus hoc modo fit. Conuenit ſemen viri in vuluam mulieris, ex quo & mundiſſimo ſanguine menſtruo, per purgationem fit quidam globus in vtero. Sed quid prius in vtero formatur? Dicimus, quòd venæ & arteriæ. Sed quomodo? Si venæ ab hepate habent originem, & arteriæ à corde, dum non eſt principium, quomodo id erit, quod à principio procedit? Reſpondemus, primùm hoc curare naturam, vt poſſit miniſtrare nutrimētum per totum corpus: prius ergo fit per quod miniſtratur alimentum, quàm id cui miniſtratur. Pone, exempli cauſa, eſſe patrem familiâs qui habet hortum in loco arido, qui cogitat & perpendit ſecum locum eſſe aridum, & quòd in eo adueniente æſtate non poterit naſci holus. quid ergo facit? pone eſſe foueam ante hortum vnde aquam diducet per fiſtulas, ſed prius aquam colligit fouea in vnum, qua collecta dirigit eam per fiſtulas ad hortũ. Sic & natura prius format venas & arterias, pòſt hepar & cor, vt dũ hæc facta fuerint, habeat per quod miniſtret nutrimentum toti corpori. Rectè ergo poſuit Hippocrates tres mulierum differentias, quum dicit præter naturam tenues cōcipere quidem, ſed ab-

ortire: præter naturam craſſas nullo modo concipere, & per hoc non abortire: mediocriter autem corpulentas concipere, & non abortire niſi acetabula vteri plena mucoris fiant.

APHORIS. XIX.

SI vterus in coxa poſitus ſuppuratur, linimẽtum recipiat neceſſe eſt. Fœtus qui mares ſunt, parte vteri dextra continentur: qui fœminæ, magis ſiniſtra.

Vterus in coxa poſitus ſi aut intus, aut foris ſuppuretur, ne fœtus, ſi forte habuerit, moueatur, thimiama ei adhibebis, cum lentiſco, aut aliquo ſimili. Multis autem de cauſis mares in dextera parte iacent: Primum, quia virtus ibi maior eſt: deinde, quia calor fortior. Sed quæras, quomodo calor in dextra eſt, quũ cor in ſiniſtra iaceat? Reſpondemus, licet in ſiniſtra iaceat cor, calorem tamen tam dextræ, quàm ſiniſtræ miniſtrat. Dextra enim dupliciter calida eſt, primo, ab hepate: deinde, à corde. Ideo maſculi in dextra, fœminæ autem in ſiniſtra iacent.

APHORIS. XX.

SI ſecũda procidit, ſternutatorio appoſito nares & os apprehendimus.

Nunc procidẽtiam, præfocationem appellans, præcipit, vt quoties ſecunda prociderit, ſternutamenta naribus inijcias, & claudas os & nares, vt qualitas ipſa cerebrum attingens, celeriter poſſit extenſionem reprimere.

APHORIS. XXI.

MVlieri in vtero habenti, tenaſmus innatus, abortire facit.

Tenaſmus innatus dicitur laxitudo inteſtini: alij vocant conatum. fit verò ex acido humore. nemo autem ignorat inteſtinum & vterum vicina eſſe. & propter inteſtinorũ hanc eleuationem, ſæpe abortit mulier habens in vtero, patiendo hanc affectionem.

APHORIS. XXII.

SI menſtrua ſiſtere placeat, cucurbitulam grãdem appones ad mãmas.

Aliud eſt reuulſio, aliud deriuatio. Reuulſio eſt quoties è dextra ad ſiniſtrã trahitur ſanguis. Deriuatio quoties ex ſuperioribus ad inferiora, aut contrà. Nunc quoque deriuationem fieri iubet. & quoties fuerit fluxus menſtruorum vltra modũ, ad mammas præcipit poni cucurbitas, id eſt, ventoſas, vt poſſit ſanguis ex inferioribus ad ſuperiora trahi. Nam ſcimus mamillas cum vtero habere quandam communionem.

APHORIS. XXIII.

QVæ vterum gerunt, ijs vulua ſe comprimit, & orificiũ clauditur.

Notum eſt quo modo ſita ſit matrix. duo enim habet orificia, vnum interius, alterum exterius, in quod ingreditur viri veretrum. nam in illud interius non ingreditur, ſed matrix trahit ad ſe ſemen, quemadmodum ventoſa. matrix autem pòſt tam firmiter clauditur, vt dum in vtero habet mulier non concumbat cũ ipſa vir. ori-

ficium ergo vuluæ tribus de cauſis clauditur. Primò, vt non ingrediatur ventus & corrumpat infantem. Secundò, vt non deſcendat fœtus, ante tempus. Tertiò, vt ſanguis mẽſtrualis in loco detineatur, vt dum enixa fuerit, habeat natura pondus quo deponat infantẽ. Nam ſi decurrant mẽſtrua, non habet vnde nutriatur infans, & diſcuſſus moritur. Tres enim ſunt membranæ, quibus detinetur in vtero infans libratim per vmbilicũ pendẽs. Prima ſubter infantem ἀμφιβεβλημένον, ſecũda ἐπιφυκὸς, tertia ὑποχώρειον dicitur.

APHORIS. XXIIII.

MVlieri grauidæ ſi lac effluit è mãmis, fœtũ imbecillum eſſe ſignificat. at ſi mammæ ſint firmæ ac ſolidæ, fœtũ eſſe validiorẽ ſignificatur.

Bene dicit imbecillum fœtum. Nam propter nimiam lactis emiſſionem debilitatur, quia dum effluxerit ſanguis, non habet vnde nutriatur. Si autem firmæ ac ſolidæ fuerint mammæ, ſignificatur, quòd ad matricem ſecundum naturam defertur ſanguis. Vnde nutritur fœtus, & mamillæ ſunt ſecundum naturam duræ.

APHORIS. XXV.

QVæ abortũ facturæ ſunt, ijs mãmæ extenuantur.

Si mulieris vbera attenuentur, ſignificatur abortum fore. quia indigentia ſanguinis in illis eſt, ex ſanguine autem nutritur fœtus in vtero, quo deficiente, fœtus per abortum eijcitur.

APHORIS. XXVI.

SI mammæ denuo durescant, dolor in mãmis fatigabit, aut in coxis, aut in oculis, aut in genibus. Itáq; non facit abortum.

Hoc dicit, si mammæ extenuatæ denuo durescant, vbera dolẽt propter communionem venarum: oculi verò, propter affinitatem neruorum. & non abortit mulier, quia quanto duriores fuerint mãmæ, tanto arctius os matricis, de quo ante diximus, clauditur, & fœtũ continet vsq; ad tẽpus.

APHORIS. XXVII.

QVibus os vteri durũ est, ijs compressum id esse necesse est.

Hoc est quod suprà diximus. Quia quanto durius est vteri os, tanto magis concluditur, & similiter prodest.

APHORIS. XXVIII.

QVæ vterum gerentes, à febribus capiuntur, valdéq; extenuantur sine causa manifesta, hæ difficulter pariunt, & cum periculo: aut abortum facientes periclitantur.

Mulieres in vtero habẽtes, si à febre acuta corripiuntur, aut periculosè pariunt, aut abortiunt. Vno enim patiente, alius simul patitur. Totum enim corpus patitur propter febrem, patietur & matrix quæ ex se causam non habuit, patiente autem matrice, cũ periculo aut pariũt, aut abortiũt

APHORIS. XXIX.

SI profluuio muliebri conuulsio aut animæ defectio superuenit, malè est.

Hoc dicit: Si fuerit sanguis menstrualis secundum naturam, totius corporis purgatio est: si verò præter naturam fuerit, cõuulsionem facit, aut animæ defectionem. Conuulsio enim hoc loco ex inanitione fit.

APHORIS. XXX.

SI menstrua immodicè fiunt, morbi accidunt: & si non fiunt, morbi matricarij accidunt.

Alio atque alio modo dicit ex menstruis fieri ægritudines, si immodicè fluxerint, & si non fluxerint. Nam si immodicè fiant, erunt ægritudines: quia multum debilitatur corpus. Si autẽ non fluxerint, ex matrice significat fore ægritudinẽ, cuius venæ clausæ sunt, aut ex crassa materia, aut ex tumore acetabulorum, quæ faciunt redundare sanguinem menstrualem per totum corpus, ex quo gignuntur ægritudines.

APHORIS. XXXI.

VTeri aut recti intestini inflammatione, vrinæ stillicidium accidit.

Sciendum, collum matricis, & collum vesicæ, & rectum intestinum sibi inuicem vicina esse. Inflãmata ergo matrice, vel recto intestino collum vesicæ angustum redditur, & vrina more consueto non egreditur. Quid verò aliud est vrinæ stillicidium, quàm angustia vesicæ, ex qua fit vt ho-

mo guttatim mingat?

APHORIS. XXXII.

RENibus purulentis vrinæ stillicidium accidit.

Hic ex proprietate & qualitate loci patientis, accidit stillicidium vrinæ.

APHORIS. XXXIII.

IEcoris inflammatione singultus sequitur.

Singultum diximus duobus modis fieri, aut ex repletione, aut ex inanitione: nunc ex inanitione fit. Inflammato enim iecore, inflatio atque superfluitas ad superiorem partem redundat.

APHORIS. XXXIIII.

EIs quæ corruptæ sunt, mamillæ siccæ fiunt.

Commētarium hic desideratur. Et aphorismū hunc alij libri non habent.

APHORIS. XXXV.

SI mulier non concipit, & scire placet an concipere possit, veste obuolutā suffies infrà. Nam si odor trāsmitti per corpus ad os & nares videbitur, non esse sua culpa sterilē cognosces.

Antiquis temporibus nullus procedebat ad altare, nisi ex leuitico genere aut regio. Cuius rei philosophi & rationales medici hanc tradunt rationem, vt si mulier potuisset cōcipere & vir generare, coniugio iungerentur. Si verò coniuncti matrimonio non possent liberos procreare, volē-

tes cognoſcere vtrum viri culpa eſſet an mulieris faciebant tres trochiſcos ex aromatibus, cooperientes mulierem, fortiter conſtrictam in loco, & incendentes trochiſcos infrà ſuffiebant, vt odor per corpus tranſmitteretur ad nares. Et ſi confitebatur mulier ꝙ in os aut nares perueniret odor, duæ res ſignificabantur: vna, quòd non haberet in vtero: altera, quòd non ſua culpa, ſed viri eſſet ſterilis. Nam ſi matricis culpa fuiſſet, aut præfocatæ à tumore, aut ab humore oppreſſæ, odor ſuperiores partes pertingere non potuiſſet. Et tũc viro adhibenda eſt cura, non mulieri.

APHORIS. XXXVI.

SI mulieri grauidæ mẽſtruæ purgationes erumpunt, fieri non poteſt vt fœtus bene valeat.

Si mulieri dum in vtero habet, menſtruæ purgationes erumpũt, ſignificatur fœtum debilem, atque languidum eſſe. Nam ſanguis menſtruus fœtus eſt alimentum.

APHORIS. XXXVII.

SI mulieri mẽſtruæ purgationes nõ prodeunt, nec horror, aut febris ſuperuenit, & faſtidia accidunt, grauidam eſſe arbitrare.

Vult oſtẽdere Hippocrates, quibus ſignis poſſimus cognoſcere mulierẽ eſſe grauidam, dicitq́; Si ſine horrore & febre fuerit mulier, & mẽſtrua non prodierint, grauida eſt. Febris enim ex cõceptu ſedatur. Faſtidia verò nũc vocat appetitum

malũ. Nam aliquæ mulieres, in initio conceptus, appetitum malignũ habent. adeò, vt etiam terrã comedant. Sed vnde hoc fit? Nimirum, quia in initio recentis ipsius sanguinis qualitas repressa inficitur, & fit acida, ac titillat, & appetitum excitat: pòst verò vbi creuerit fœtus, ad nutrimentũ descendit, vnde & fastidiũ patiuntur grauidę.

APHORIS. XXXVIII.

MVlieres quæ præhumidos habent vteros, concipere nequeunt. quæ etiam frigidos spissósque habẽt, nõ concipiunt, fœtus enim extinguitur. Necnon sicci & admodum calidi concipere nõ possunt, genitale enim semen corrumpitur ob inopiam alimenti. quæ autem ex vtrisque modicè temperatos obtinent vteros, hæ valent fœcunditate.

In præsenti aphorismo triplicem mulierũ differentiam cupiens declarare Hippocrates, dicit, Mulieres præhumidos & frigidos spissósque habentes vteros, nõ concipiunt, donec extenuẽtur. quia ex nimia crassitudine nõ retinetur semẽ, sed expellitur. Item quæ siccos & calidos habuerint vteros, non concipiunt. quia humidum semen acceptũ, à siccitate vteri consumitur. Hæ verò quæ secundum mediocritatem vel æqualitatẽ temperatos habuerint vteros, illæ concipiũt. quia nihil est quod conceptui repugnet.

APHORIS. XXXIX.

QVæcunque in pubertate incumbe-

re meditantur, barbeſcunt: & quicunq; in pubertate ſuccumbere meditātur, nō barbeſcunt.

Nouit naturæ ſagaciſſimus inſpector Hippocrates, quòd mulier quum pubeſcit, ſi fœmineo nō moueatur appetitu, ſed magis maſculino, hoc eſt, ſi non cupiat ſuccumbere vt mulier, ſed magis incumbere vt vir, ſine dubio inde barbeſcit. Maſculus autē quum pubeſcit, ſi maſculino non moueatur appetitu, ſed magis fœmineo, hoc eſt, ſi non cupiat incumbere, vt vir, ſed magis ſuccūbere, vt mulier, ſine dubio inde non barbeſcit.

APHORIS. XL.

MVlier ambidextra non fit.

Multi authores hic multa ſenſerūt. Galenus dicit Amazones dextram mamillam incidere aut exurere ſolitas, vt plurimo alimento ad manum vicinam veniēte, maior ei ineſſet virtus, quæ alioqui debilis erat. Ambidextra ergo non inuenitur mulier, hoc eſt, tantum valens ſiniſtra manu, quantum dextra. Quod tamen aliquando viris contingit, qui calidi ſunt, mulieres autem frigidæ ſunt.

APHORIS. XLI.

PAri modo vel maribus euenit, aut enim ob corporis laxitatem diſſlatur euaneſcítque ſpiritus, ne ſemen genitale tranſmitti poſſit, aut ob ſpiſſitudinem humor foras non decedit, aut ob frigiditatē foueri non patitur, vt ad eum

colligatur locum:aut ob nimium calorem hoc idem accidit.

Abſoluto ſermone de mulieribus,neceſſe fuit ad viros migrare.Sed quia de triplici mulierum qualitate latius explicatum eſt, nunc quoq; de virili ſemine videamus,& quid hic locus contineat diſcutiamus.Dicit enim in viris ſimiliter euenire,vt in mulieribus,vt aut ex nimia quãtitate ac ſpiſſitudine,aut nimia corporis laxitate,ſemine vuluę iniecto,non concipiat mulier:qui verò mediocriter temperato ſunt corpore,hi poſſunt generare. Duæ autem ſuperiores virorum ſpecies non generant: aut propter corporis laxitatem, quia tenue ſemen foras euaporatur ac euaneſcit,& non miſcetur ſemini muliebri: aut propter ſpiſſitudinem humoris, quia non quantum oportet foras decedit:aut propter frigus, quod ex nimia tenuitate efficit, vt ſemen non eijciatur & congregetur in profundo matricis: aut propter ſpiſſitudinẽ humoris & vaporis qui efficit ſemen aquoſum & nimis tenue,& non concipit ex eo mulier.

APHORIS. XLII.

VIri ſemen aquæ iniectum ſi ſupernatat,aquoſum & nimis tenue eſt, nec concipit ex eo mulier.

Antiquis temporibus,vt ſuprà diximus,certiſſimo indicio oſtendebant medici,vtrum viri culpa an mulieris eſſet ſterilitas in cõiugio.Sed quia de mulieribus illic dictum eſt, dicendum hic eſt de viris.Conſiderabit ergo medicus,vtrum antè ſuſceperit filios,an non. Et ſi ante ſuſceperit,aut

ex vxore, aut concubina, erit culpa mulieris: si verò antè non susceperit, mittatur semen ipsius in aquã, & si supernatauerit, aquosum & tenue est, nec aptum conceptui. Non enim concipit ex semine mulier, nisi fuerit mediocriter spissum, & crassum, vt superius de mulieribus dictũ est. Sed hoc quod spissum non est, crassum & spissum reddetur, donec ad mediocritatem redigatur.

APHORIS. XLIII.

LAc febricitãti dari, aut caput dolenti, malum est: & quibus pręcordia suspensa murmurãt, & ijs qui sitibũdi sunt. nocet etiã quibus per febres acutas biliosæ deiectiones prodeunt, & quibus sanguinis multi facta deiectio est.

Videamus quot qualitates in se contineat lac, & vtrum de omni lacte loquatur Hippocrates. Sciẽdum, quòd lac in se tres habet qualitates. est enim calidum, humidum & frigidum. Sed quomodo potest fieri, vt duo cõtraria in vno eodémque corpore reperiantur? Dicimus, id fieri potentia, non actu. Diuersis enim temporibus diuersæ qualitates mutãtur. Nam butyrum calidum est. vnde in constipatione thoracis, quãmaximè pleuriticis ad maturandum atque purgandum rheumatismum offerimus. Caseus frigidus est, Serum humidum. ergo in diuersis sunt hæ qualitates, nõ in eodem. Et lac dum mulgetur calidũ est, dum autem constiterit, frigidum efficitur, & grumos facit. vnde etiam acescit in stomacho bibentium. Hoc ergo dicit Hippocrates: Lac quod multum

habet butyri malũ est his de quibus suprà dixi-mus, quia facit grumos. Vnde multi bibentes lac, aut caseum comedentes, non sine ratione aquam bibunt. Hinc etiam tabidis nõ damus caprinum aut qualecunqꝫ lac, quod multum habet seri aut butyri, sed asininum, quia ipsum melancholicum est, & quantò magis splen trahit nutrimentum, tantò minus stomachum lædit. Nunc videamus quibus lac malum sit. Caput dolentibus sine du-bio addit dolorẽ dum recens fuerit in stomacho. quia vapor ad cerebrum perueniẽs extendit ner-uos. Febricitantibus verò contrariũ est, quia quã-uis qualitatem temperare debuerat, tamen calor calorem auget. Item ijs quibus præcordia suspen sa murmurant, malum est, quia vàpor vbi deten-tus fuerit, tumorem facit. Sitibũdis etiam magis excitat sitim. Item ijs malum est, quibus per fe-bres acutas biliosæ deiectiones prodeũt, quia ma-ior fit relaxatio. In sanguinis multi deiectione ma lum est, multis modis: primùm, quia debilitatur natura & non valet concoquere: deinde, quia vi-res reprimit, & vbi resederit, magis aggrauat.

APHORIS. XLIIII.

LAc tabidis competit nisi admodũ febriãt. dandum etiam in febribus longis tussibundis, si nec vllum ex præ-dictis vrget, & præter rationem æger ab-sumitur.

Volens Hippocrates per omnia doctum esse medicum, docet quibus congruum sit lac, quibus non: & quod antè vituperauit, nũc laudat. Tabi-

dis, inquit, nisi admodum febriãt, lac datur: vt ea quæ extenuata sunt, per lactis copiã reparentur. Item docet, vt medicus in aliquam regionem veniens, si repererit in aliquibus longam febrẽ, quia iam tabefacti sunt præter rationem, lac offerat. sed coquatur prius lac cum lente & farre, vt qualitas lactis cũ qualitate ægroti operando non lædat, sed potius reparatio fiat.

APHORIS. XLV.

QVibus tumores in vlceribus apparent, ij nõ maximè conuelluntur neque insaniunt, sed deletis tumoribus, alijs derepente conuulsiones à tergo, & distẽtiones accidunt: alijs antè insania, aut lateris dolor acutus.

Hoc dicit, Quibus tumores in saniem vertuntur, ij neque conuelluntur, neq; insaniunt. quia materies quæ sursum pergebat, & insaniã faciebat, per abscessum egeritur, & conuulsio non potest fieri, quia repletio tumoris euacuatur. talis enim inanitio non est præter naturam. Si verò subitò euanescat tumor, à tergo accidet conuulsio & distentio, hoc est in toto corpore extensio. Si verò antè euanescat tumor, insaniam facit, & laterum dolorem ac saniem.

APHORIS. XLVI.

SI rubicũdi fuerint tumores, aut vomica accidet aut difficultas intestinorũ. immaturi, mali: molles, boni.

Si rubicundi fuerint tumores, celeriter aut eua-

porantur,aut in ſaniem vertuntur.

APHORIS. XLVII.

SI in vulnerib⁹ validis & prauis moles non apparet,magna eſt noxa.

Hoc dicit,ſi tumor fuerit ſolidus,hoc eſt, ſine ſanie, malum eſt, quia nec euaporari poteſt, nec in ſaniem verti.

APHORIS. XLVIII.

DOlenti partem capitis poſteriorē, frontis venam ſubreptam ſecuiſſe prodeſt.

Sciendum triplici materia cerebrum contextū eſſe,neruis videlicet,venis,& arterijs. & venarum quidem aliæ ſunt principales,aliæ non principales,aliæ minores.quarū ſi vna vadit ſurſum, tum altera deorſum perget.quemadmodum,exempli gratia,ruſticus vitem colēs,ſi vnam propaginem duxerit ad dextram, aliam ad ſiniſtrā ducet. ſic & natura venas conſtituit,vt ſi vna claudatur,altera miniſtret loco nutrimentum, vt non patiatur,ſed poſſit nutriri . hæ venæ ab hepate emergentes & cerebrum vallantes diuerſo modo dolorem inferunt nō ſolum occipitio,ſed & toti capiti. Ab hepate enim per venas humores ſuperiora petētes,neruos proximos vexant,& partes capitis lædunt. vnde ſi per membranulas læſio veniens anteriores capitis partes offendat, ſinciput dolet:Si verò poſteriores partes,occipitium. Vnde Hippocrates ſciens aliquādo inde occipitium dolere,curationem docet.Si,inquiēs,vena quæ in fronte eſt incidatur,dolorem,qui in poſteriore eſt

capitis parte, ſedat. Sed cur non tollitur ſanguis è loco patiente potius, quàm è fronte? Nimirum tribus de cauſis: Primùm, quia per reuulſionem, quam antiſpaſin Græci vocant, detractio ſanguinis facta, celerius euaporat: Deinde, quia poſteriore capitis parte non ſic apparet vena, vt in fronte: Tertiò, quia poſteriore parte venæ, nerui, & arteriæ in ceruice ſunt. Sed quare fluente rheumatiſmo in oculos, per cucurbitulam pòſt ſanguinem tollimus? Nimirum quia cucurbitula leuat carnem atque cutem, & arteriæ, ac nerui intus manent.

APHORIS. XLIX.

Rigores incipiunt mulieribus quidem ex lumbis magis, & per dorſum ad caput. Sed & viris parte corporis poſteriore magis, quàm anteriore, veluti femorum, cubiti. Sed & cutis rara, indicio autem eſt pilus.

In præſenti aphoriſmo oſtendit Hippocrates, ex quibus rebus, & quibus in locis tam in mulieribus, quàm viris rigores oriuntur, & dicit: Mulieribus ex lumbis & per dorſum ad caput oriri rigores, & quãtò mulieres frigidiores ſunt viris, tantò eis citius oriuntur rigores. Viris verò vtpote calidioribus, parte corporis poſteriore, id eſt, à cubito & femore, quæ frigidam habent naturam. Huius rei ſignum eſt cutis raritas: & raræ cutis indicium eſt pilorum multitudo. Nam quãtò denſior eſt cutis, vt in palma, tantò minus naſcuntur pili.

APHORIS. L.

QVi à quartanis capiũtur, non admodũ conuulsionibus capiũtur. Et si antea capiebãtur, quartana superueniente liberantur.

Commentarium hic desideratur.

APHORIS. LI.

QVorum cutis obtẽditur squalida & sicca, ij sine sudore moriuntur. Contrà, quorum cutis laxa solutáque est, ij obeunt cum sudore.

Nunc de conuulsione & distentione loquitur, & dicit: Qui siccus fuerit & duram habuerit cutem, prę nimia siccitate sine sudore moritur. Qui verò laxam habuerit cutem, & non fuerit siccus, cum sudore moritur.

APHORIS. LII.

QVi regio morbo laborant, ij non admodum inflantur.

Regius enim morbus ex bilioso fit humore, vt suprà dictum est: dum autem ille humor expulsus fuerit, inflationes non facit in corpore.

APHORISMVS I.

IN longis læuitatibus intestinorum, ructus acidus superueniens, qui non extitit prius, signum est bonum.

Absoluta sexta particula in qua muliebres affectiones,& lactis qualitatem ostendit,transit ad septimam. In longis, inquiens, læuitatibus intestinorum ructus acidus superueniens &c. Videamus quid sit læuitas intestinorum, & quibus de causis fiat: deinde, quare acidus ructus superueniens,signum bonum est. Læuitas intestinorum est sine vlla alteratione cibi deiectio,vbi mox vt assumptus fuerit cibus,sine vlla immutatione excernitur. Fit autem quoties longa ægritudo virtutes naturales alteratricem & retentiuam debilitat.Nam si alteratrix facultas debilis fuerit,non potest assumptum cibum alterare, nec retentiua virtus eundem retinere. Item aliquando fit crassus atque glutinosus ex humoribus cibus.Quod autem glutinosum est,virtus alteratrix cõcoquere non valet,nec retentiua retinere.Acidus ructus si ab initio fuerit,malum signum est:si autẽ pòst euenerit,bonum. Duobus modis:Vno,quia materiam quæ intrò decurrebat, dissoluit virtus, & ad exteriora pars aliqua deriuatur, & fit deriuatio de loco ad locum:Altero,quia significat frigidam & viscosam materiam, iam à calore solu-

tam, vt fiat acidus ructus.

APHORIS. II.

QVibus nares humidæ, & genitale semen liquidum, ſanis malum eſt: ægrotis verò, vtile è cõtrario.

Mirum eſt, quod dicit Hippocrates, ſanis eſſe malum quod ægrotis ſit vtile. Sciendũ ergo quædam in nobis eſſe agentia, quædam item patientia. Nam calor & frigus actiua ſunt, ſiccum & humidum patientia ſunt. Si ergo ſanis ſint nares humidæ, & ſemen genitale liquidũ & aquoſum, malum eſt. quia non eſt ſecundum naturam, ſed ex contrario. Nam illud quidem ex abundantia pituitæ fit, hoc verò ex infecto ſanguine. Si autem ægrotans quis ex ſiccitate, humidas habuerit nares, & ſemen genitale liquidum, bonum eſt, quia ſiccitas eſt conſumpta, & ad temperiem reuertitur natura, quia humor humectauit arentes nares. Sanguis verò vnde ſemen genitale originẽ ducit, quod antè viſcoſum fuerat, calore ſuo iam reparauit.

APHORIS. III.

IN longis difficultatibus inteſtinorũ faſtidioſæ inediæ malæ ſunt: & peiores, ſi accidunt cum febre.

Difficultas inteſtinorum præcipuè fit ex diſtemperantiæ inæqualitate. Et ob id dicit Hippocrates, quòd faſtidioſæ inediæ in hoc affectu malæ ſunt. Quia duobus modis æger læditur: Primùm, quia maior fit diſtemperantia ſi non refi-

ciatur cibo: Deinde, quia geminam debilitatio-nem naturæ inferunt, vnam cibi, alteram excre-tionis. Tribus etiam locis fit difficultas inteſtino-rum, hoc eſt, ſuprà, in medio, & inferiore loco. Su prà fit, quoties ipſa vlceratio ſanguinē miniſtrat: In medio, quando ſanguinolentum ſtercus deijcitur: Inferiore verò loco, quando craſſum inte-ſtinum quod longanon dicitur, mucoſa ſtrigmen ta deponit. Et ideo ſi in febribus hæc cōtingant, peius eſt.

APHORIS. IIII.

DOlores aut pectoris aut coſtæ aut cuiuſuis membri, an multum infe ſtent animaduertendum eſt.

Vult Hippocrates dare ſignum, atque cogno-ſcere medicum vnde fiant dolores in pectore aut latere, aut etiā in alijs membris. & dicit, hoc con ſiderandum eſſe à medico, propter modum cu-rationis adhibendæ. Nam poteſt fieri vt ſit quiſ-quam pleuriticus, & doleat illi pectus atq; latera, propter diaphragma quod vicinū & coniūctum eſt epizocoti membranæ. & hunc curabimus ea-dem ratione qua pleuriticum. Item fieri poteſt, vt ſit tumor in concauitatibus pectoris & doleat pectus, & non ſit pleuriticus. debet ergo ſemper medicus affectionem cognoſcere, vt ſic poſſit pe culiare præſidium adhibere.

APHORIS. V.

VItia renū & veſicę ſenioribus diffi-culter ſanantur.

Siue in veſica ſit affectio, ſiue in renibus, diffi-

culter curatur, duabus de causis: Primùm, quia præsidia ex interiore parte admoueri nõ possunt: Deinde, quia illa quæ ab exteriore parte admouentur iam penè consumpta sunt, quum ad locum veniunt.

APHORIS. VI.

DOlores ventris si superiores sunt, leuius: si inferiores, grauius infestant.

Superiores ventris dolores nascũtur, quum aut tantum superficies dolet. & hi celeriter siccantur & euaporantur: aut quum dolor suprà in stomacho est, vbi est calor fortior, qui dolorem facilè euaporare potest. Hi ergo dolores leuius infestãt. Si autem fuerint infra vmbilicũ, grauiores erunt & diuturni. quia ex crassa fiunt materia, & calor minor est, quàm vt possit eos facilè euaporare, aut soluere.

APHORIS. VII.

VLcera aquę inter cutẽ quæ in corpore fiunt, non facile sanantur.

Tribus modis non sanantur vlcera in ijs qui aqua inter cutem laborant: Primo, quia deest sanguis qui possit nutrire carnes. Nã sanguis in aquã cõuersus est: Secundo, quia ipsa aqua salsa decurrens ad vlcera, magis exasperat: Tertio, quia debilior est natura, quàm locus qui patitur.

APHORIS. VIII.

LAtæ pustulæ & quæ non admodũ pruriunt, difficulter curantur.

Nunc de areis dicit. Quid est area? vlceratio cutis, cum profluuio & eradicatione capillorũ. Sed quia non semper est vlceratio, sed aliquando sola eradicatio, videamus quæ difficilius curatur. Illa quæ cum vlceratione est, curari facilè potest, quia in superficie sunt eradicati capilli, & non interiore parte. Hæc verò quæ in superficie vlceratione͂ non habet neq; pruritum, à radicibus habet eradicatos capillos. vnde difficilius curatur.

APHORIS. IX.

DOlenti caput & circùm dolenti, pus, aut aqua, aut sanguis effusus per nares aut os, ægritudinem tollit.

Capitis dolor multis modis accidit. Aliquando tumor est in membranulis siue panniculis quos meningas Græci dicunt, Aliquando in ipso pericranio quod superinsternitur cerebro, Aliquando ex inferiore parte ascendit spiritus flatulentus per arterias & venas, & dolorem excitat. Vnde se aperiunt suturæ capitis, & accedentes medici docti faciũt ligaturam quæ cephalica nuncupatur. Reuertentibus verò suturis in suum locum, cessat dolor. Consideremus, quare dixerit dolenti caput, & circùm dolenti. Dolenti caput, dolor in ipso loco cõtinetur. sed circùm dolenti, dolor circumquaque fit ex spiritu flatulento per arterias. Ergo siue dolenti caput, siue circùm dolẽti, pus, aut aqua, aut sanguis per nares aut os manãs, soluit ægritudinem. Nares enim & palatum cerebri sunt maximæ digestiones. Vicina verò sunt sibi inuicem nares & palatum, & quum mana-

uerit pus, vel aqua, vel ſanguis, tunc ſiue ſit tumor, relaxatur: ſiue humor, deponitur: ſiue ſpiritus flatulentus, extenuatur.

APHORIS. X.

VItijs atræ bilis & renum, ſi mariſcæ ſuperuenerint, bene erit.

Atra bilis affectio eſt cerebri, & ex melancholica fit materia. Mariſcæ autem ſunt venæ meatus, & ex vna multæ eædem venientes ab hepate per dorſum ad meatum deferunt melancholicum ſanguinem. Et ſicut mulieres per ſingulos menſes purgantur cõſueta purgatione menſtruorum, ita & viri qui iſta patiuntur. Quum ergo fuerit atra bilis, & ſuperuenerint mariſcæ, diſſoluunt atram bilem, quia diminuitur materia. Nephrites verò renum affectus tribus fiunt modis, aut tumore in renibus, aut tumore in veſica, aut ſpiritu flatulento in vtriſque. Inanitio contrà eſt. & in ipſis renibus triplex eſt poſitio membrorũ, aut enim vrinaria vaſa dolent, aut ſeminalia, aut ipſi renes. Quibus omnibus modis ſuprà dicta inanitio veniens, ſoluit eas affectiones.

APHORIS. XI.

A Mariſcis diutinis ſanato, niſi vna ſeruetur, periculum vel aquæ inter cutem, vel tabitudinis, vel inſaniæ imminet.

In præſenti aphoriſmo vult Hippocrates oſtendere, quòd ſi curatæ fuerint mariſcæ, malum ſit, niſi vna fuerit ſeruata. Nam, vt ſuperius diximus, Mariſca vena eſt quæ ab hepate egrediẽs defert

melancholicum ſanguinē,quæ veniens ad anum in multas alias diuiditur.Galenus dicit,quòd indocti medici ponunt cucurbitulam ad meatum & ipſa venarum capita abſcindunt & ligant,dicentes fiſtulam eſſe. Nos autē ſic non faciemus, ſed ſi plus emanet quàm cōueniat,ſic ligabimus, vt vna remaneat,& ſinemus vt natura habeat excretionem. Nam ſi hoc non fecerimus,euenient paſſiones de quibus ſuprà dictum eſt. Sed quomodo ſanguis retentus cauſa eſt aquæ inter cutem,quum aqua inter cutem nihil ſit aliud,quàm indigentia ſanguinis? Reſpōdemus,quòd ſanguis dum retentus fuerit,ad principiū ſuum, hoc eſt, ad hepar redundat.Et tale quidem patitur natura,quale fiſtula accipiens aquā è fouea,quæ dum in ſe receperit,per ſpiritum ſurſum redūdat aqua. Sic & ſanguis ad hepar ſe habet. Hepar autem toti corpori nutrimentum miniſtrat, cuius vena quum oppreſſa fuerit, ipſum hepar, aut per ſe patitur,aut propter vicinitatem,& ſanguis in aquam conuertitur,& fit hydrops.Si verò ſanguis ad cerebrum verſus fuerit,parit inſaniam:ſi ad pulmonem,tabem generat.

APHORIS. XII.

SIngultui ſi ſternutamenta ſuperuenerint,tollunt ſingultum.

Singultus duobus modis fit, quemadmodum & conuulſio,aut ex repletione,aut ex inanitione. Et quia ſtomachus neruoſus eſt, nerui autem à cerebro oriuntur,dū ſternutatio ſingultui ſuperuenerit, ſoluitur ſingultus: quia motus calorem

facit, calor autem calorem euaporat. Si ex inanitione fuerit singultus, quicquid ad ipsam concussionem pertinet, ea excitatione facta naturæ, significat virtutem reparari.

APHORIS. XIII.

AB aqua inter cutẽ detẽtus, si aqua per venas in ventrem defluxerit, morbo soluetur. At si tussis accesserit, nulla erit spes salutis.

Nam aqua inter cutem ex repletione accidit. si autem aquæ deriuatio fiat, & aqua ad ventrem per venas redeat, soluitur affectio. Si verò tussis aduenerit, multis modis malum est: Primò, quia significat ipsam abundantiam superiore loco redundare, quæ titillat & facit tussim: deinde, quia ipsa cõcussio magis inficit. exagitatur enim aqua: tussis ergo signum est mortis.

APHORIS. XIIII.

FLuore alui diutino detẽto, vomitus sponte superueniens, tollit fluorem.

Ventris fluorem si spontaneus sequutus fuerit vomitus, soluit fluorem. quia illud quod inferius excernebatur, per superiorem partem egreditur.

APHORIS. XV.

COstali aut pulmonia detẽto, si alui fluor superuenit, malo est.

Multis modis malum est, si costali morbo detento superuenerit alui fluor, præcipuè initio: Primò, quia debilitat vires: Deinde, quia dolor ingẽs est, & vigiliæ. Accedit autem & fluxus ven-

tris,quæ omnia debilitãt.Sed quare dolor est grauis in morbo costali? Nimirum,quòd hypezocos membrana confricatur,& cum costa, pleura.vnde etiam pleuritici dicũtur,qui costali morbo detinẽtur.Deinde quia molle & sensibile à duro premitur, ideo maior est dolor.

APHORIS. XVI.

LIppiẽtem prehendi alui fluore,bene est.

Lippitudo,oculorũ dolor aut ex vapore ascendente,aut ex humore fit.Si ergo vẽtris fluxus superuenerit, ad inferiores partes prouocatur ipsa materies,quæ faciebat oculorum dolorem.

APHORIS. XVII.

SI vesica præciditur, aut cerebrum, aut cor,aut diaphragma,aut aliquid ex tenuioribus intestinis,aut venter,aut iecur, letale est.

Hippocrates de principijs corporis loquens dicit,si aliquid horum præcisum fuerit, letale est. Sed falsum videtur esse quod dicit Hippocrates. Scimus enim intestino inciso,& ventre sæpius euasisse & superuixisse hominem:vt sæpe in bello accidit.Respondemus,aliud esse præcisionem,aliud incisionem,atq; aliud percussionem.Percussio est,quando aliquid horũ pungitur,non tamen diuiditur,vt si aliquis in ventre pungatur & non in intestinis.Nam tria in se cõtinet venter,in medio est caro,intus & foris sunt nerui.& hoc prouida natura facit vt caro illa calefaciat cibum,&

nerui extendantur quoties multum comedimus. Item caro illa adunata,tota se cōsolidat, quoties punctio huiusmodi fuerit. Incisio est,quoties mē brum inciditur,non tamen diuiditur. Præcisio verò dicitur quoties membri continuatio diuisa fuerit:quomodo nunc dicit Hippocrates, si quid ex his membris præcisum fuerit,letale est:quia sunt quædam principia sine quibus natura subsistere non potest.

APHORIS. XVIII.

QVum præcisum os est,aut cartilago,aut neruus,aut genæ particula tenuis, aut præputium, nec augeri,nec coalescere potest.

Membrorum nostri corporis alia sunt neruosa, alia musculosa,alia carnosa, alia ossea,alia venosa. Hippocrates ergo in omnibus verax,nūc vult ostendere,quæ sint in corpore nostro ea membra, quæ incisa non sanātur,& dicit. Omne quod neruosum est,si præcidatur,difficilè ad integritatem reuocatur,nisi fortè locus ille circundatus fuerit carne,quæ carni adunetur. Illud tamen non simile est,quum videmus collum vesicæ incidi,vel ipsam etiam vesicam,quando calculi extrahuntur: tum enim in longū finditur ea parte qua est caro: quia caro maximè adunat & conglutinat locum. quanquam id quoq; difficile fiat. Videamus ergo quid dicat Hippocrates. Os,inquit,si præcidatur,non crescit aut augetur. Cartilago etiam, quæ est narium positio,simili modo se habet: sic & genæ particula tenuis, vtpote iuxta labium,

quod magis est neruosum quàm carnosum. Præputium verò præcisum non augetur. simili enim modo neruosum est, & non adest caro per quam possit nutriri. Hæc ergo omnia si præcisa fuerint, neque augeri, neque coalescere possunt.

APHORIS. XIX.

SI sanguis præter naturam in vētriculum trāsfunditur, suppuretur necesse est.

Hippocrates in hoc aphorismo omnes concauitates ventris, ventriculum nuncupauit. Dicitq́; Si extra vasa exierit sanguis, detentus in concauitate alia, tabefacit & inficit calorē naturalem: & quia præter naturam est, suppuratur, & in saniem conuertitur.

APHORIS. XX.

SI varices aut mariscæ insanienti superuenerint, insania soluetur.

Insania & melācholia cerebri sunt affectiones, & cerebri obtinent principium. Dicit ergo Hippocrates: si insanienti superuenerint varices, soluetur insania. Varices enim sunt venæ latiores, quas sæpius per genua ad pedes videmus descendere: & per has fit de superiore parte ad inferiorem solutio morbi. Idem efficiūt mariscæ, si insanienti superuenerint.

APHORIS. XXI.

QVæcunque rupta de dorso ad cubitum descēdunt, sanguine detracto soluuntur.

Ex vertebris accipiunt officium ſuum manus: Si ergo dolor fuerit in cubito, ſignificatur ſpinalem eſſe affectionem, idq́ aut ex conſtipatione, aut ex punctione, aut ex alio quouis morbo. Inciſa ergo vena in brachio ipſo, ſoluit dolorē. quia ſiue tumor ſit, relaxatur, qui antè opprimebat venas, & faciebat dolorem: ſiue humor, detrahitur: ſiue conſtipatio, relaxatur.

APHORIS. XXII.

SI mœſtitia & metus longo tempore tenet, atra bilis in vitio eſt.

Timor enim fit quoties tinctæ fuerint cerebri particulæ: & velut in tenebris ſe non cognoſcente natura, timores accidunt. Si ergo, inquit, longo tempore tenet mœſtitia & metus, atra bilis ſignificatur. quia maximè ex melancholica materia timores eueniunt.

APHORIS. XXIII.

IGnem ſacrū de foris verti introrſū, non bene eſt: interius foras, bene eſt.

Ignis ſacer ex cholera fit & ſanguine, ſed plus ſanguinis habet quàm choleræ. Si ergo apparuerit in aliquo membro, & ſubitò introrſum verſus fuerit, malum eſt: quia aliquando ad vitalia concurrit. Si verò ex interiore loco foras vertatur, bonum eſt: quia natura ad ſuperficiē educit humorem ſuperfluum.

APHORIS. XXIIII.

QVi per ardores cōtremiſcunt, iјs delirium adfert ſolutionem.

Ardores enim ex bilioſo fiunt hu

more,& ſunt morbus peracutus. Si ergo tremor ſuperuenerit,ſoluitur morbus. Nam tremor accidit,quia materies ſenſibilia loca contingit,quæ aliquando ad ſuperficiem euaporatur. Ipſa quoque materia aut eius qualitas ad cerebrum aſcendit, & deliriũ facit,& ſoluit tremorem delirium:quicquid tamen ſenſibile fuerit,minus ſentit.

APHORIS. XXV.

QVi ſuppurati, aut aqua inter cutem laborãtes,vruntur aut ſecantur, omnes intereũt, ſi pus aut aqua vniuerſa effluxerit.

Hoc dicit: Quia maximè apud antiquos,ſi quis erat ſuppuratus,hoc eſt,haberet pus in ſpatio inter thoracem atq; pulmonem,aut alio tali membro, ferro candente vrebatur: & hoc fiebat propter venas & arterias. Si quis ergo,inquit,ſic fuerit affectus,& vniuerſum pus effluxerit,moritur: quia cũ inutilibus ſimul effluunt vtilia. Similiter dicendũ eſt de ijs qui aqua inter cutem laborant.

APHORIS. XXVI.

SPadones neque podagra laborant, neque calui efficiuntur.

Antiquis enim temporibus,& hi qui ſeruabãt palatium maximè eunuchi erant. Item eunuchi conſtituta habebant cibaria: vir verò exectis teſtibus, naturæ muliebris efficitur. Ergo tam ex ciborum abſtinẽtia,quàm ex temperie quam natura eunuchorum habet,neq; podagra laborant, neque calui efficiuntur. Nam podagra & caluities ex intẽperantia accidunt. Hac verò ætate eunu-

chi articularijs morbis afficiuntur:quod non absimile est podagræ,quia in otio & delicijs viuũt, & labore non exercentur,& incomposité viuũt, ac nutriunt crassum humorem, qui ad articulos decurrens,articularem morbum parit.

APHORIS. XXVII.

MVlier podagra non laborat, nisi menstrua defecerint.

Quoties mulieribus menstrua profluunt,purgatio est totius corporis.Si verò nõ fluxerint,redũdat materies humorum in toto corpore,& gignuntur morbi. Aliquando autem crassa ipsa materies,decurrit ad articulos & fit podagra.

APHORIS. XXVIII.

PVer podagra non laborat, antè q̃ concumbere incipiat.

Puer podagra non laborat antè q̃ cum muliere rem habeat.vbi autem cum muliere rem habuerit,calor subtrahitur & humores commouentur.

APHORIS. XXIX.

DOlores oculorum soluit aut meri potio,aut balneum,aut fomentum,aut vena incisa,aut medicamẽtum epotum.

Quemadmodũ quatuor sunt humores,ita quadrifariam oculorum dolores fieri intelligit Hippocrates,qui suprà dictis auxilijs tolluntur.

COMMENTARIORVM ORIBASII in Hippocratis Aphorismos, Finis.



5456

42599 (2)

RHASIS PHILOSOPHI TRACTATVS NONVS AD REGEM ALMANSOREM, de curatione morborũ particularium: opusculum huic sæculo accommodatissimum.



PARISIIS
Apud Simonem Colinæum.
1 5 3 4

DOMINI RHASIS MAGNI MEDICI NONVS TRACTATVS AD REGEM ALmanſorem, de curatione morborum particularium.

De Soda, Cephalea & Hemicrania. Cap. I.



QVando rubedo & tẽſio & grauedo in facie & oculis cum æſtu affuerint, & tactus calidus ſentitur, & pulſus fuerit magnus, ex cephalica facienda eſt phlebotomia in parte, in qua eſt dolor, vel in qua dolor magis infeſtat. Deinde aqua roſata & oleũ roſatum & acetum ſumantur, & ſimul mixta agitẽtur donec inſpiſſentur, & ſuper niuem infrigidata, ſuper caput fundantur. Æger vero à carne abſtineat & à vino, & comedat adeziam citrinam & tapſil, & olera frigida ac fructus frigidos. Vẽter autem ſoluatur ex mirobalanis citrinis & prunis ac tamarindis & zuccaro albiſſimo. Quòd ſi iſta nõ ſuffecerint, ſemina maluauiſci in aceto poſita agitentur quouſq; ad ſpiſſitudinem perueniant, ex quibus emplaſtrum capiti ſupponatur. Ex pſyllio quoq; & aceto emplaſtrum fieri vtile eſt. Si autẽ cũ iſtis fuerit in pulſu velocitas, & in tactu ſentitur caliditas, ſed

neq; in facie, neq; in oculis fuerit rubedo neque tensio, in principio soluatur venter. Deinde fiãt quæ diximus. Naribus autem inijciatur oleum violarum, aut oleum cucurbitę dulcis, aut nenufaris oleum, aut oleum de floribus salicis, quorũ quodlibet super niuem infrigidatum capiti superfundatur, & nutriatur vt prædiximus. Æger verò odoret camphoram, & aquam rosatam & salices & violas, & his similia. Quòd si ægritudo multũ inualescat, sumatur opij & camphoræ vniuscuiusque quantum ponderant duo grana hordei, quæ dissoluta in oleo de salicib9, mittantur in nares & aures. Quòd si cum soda nõ fuerit aliquid eorum quæ diximus de rubedine in facie, fueritq; ægritudo antiqua, in principio venter cum pilulis cochijs soluatur, quas ego feci. Pilulę cochiæ. ℞. pulueris pigræ drachmas decem, coloquintidæ drachmas tres, & tertiam, scamoneæ drachmas duas, & turbith, sticados, ana drachmas quinque: fiant pilulæ ex istis, & sunt doses decem. Postquam verò venter solutus fuerit, infundatur caput ex oleo sambacino, & oleo de ben, & mittãtur in aures. Æger quoque odoret algaliam & insuffletur muscus naribus. Quòd si ægritudo multum infestauerit, sumatur euphorbij & castorei, amborũ ana sexta pars drachmæ vnius. Et dissoluta in pauco oleo sambacino mittantur in nares & aures. In cephaleo verò calida, emplastrum hoc fronti & temporibus est imponendum. Emplastrum in cephalea calida. ℞. semen lactucarum sief memithe, sandalum rubeum & album, fausel, rosas, opium, fiat ex eis emplastrum postquam

aceto & aqua rosata consperſa fuerint, & fronti imponatur, ſuper quod mittatur pãnus aceto & aqua roſata infuſus. Qui cum tepefactus fuerit, iterum infundatur & deſuper ponatur. Linimẽtum verò cephalicę frigidæ. ℞. caſtoreum, euphorbium, piper, ſinapim, ſtoracem, rutam, marrubium, quæ ſiccata & pulueriżata & trico nizata miſceantur, & conſpergantur vino veteri, ex quibus fiant trociſci, & deſiccentur. Cúmque neceſſe fuerit, ex vno in vino veteri, aut oleo coſtino vel camomillino diſſoluto frons multotiens liniatur. Hoc enim linimentum omni antiquæ cephaleæ confert, non ſolum ſuperpoſitum, ſed etiam auri iniectum, quæ ſequitur illud tempus poſtquam in aliquo de prædictis oleis reſolutum fuerit. Ægro verò vinum vetus & forte dandum eſt. Cum autem cephalea per hebdomadam vnam perſeuerauerit, Æger in balneum mittendus eſt, atque ſuper caput ipſius aqua in qua camomilla & ſanſucus, & ſticados arabicus, & nemen cocta fuerint ſimul aut ſigillatim, fundenda eſt. Quòd ſi cephalea quotidie ante comeſtionem inuadat & poſt comeſtionem recedat, ſuccurrendum eſt infirmo ante horam, qua venire conſueuit, dando ei buccellas panis in ſucco granati aut vuæ acerbæ, aut horum ſimilium infuſas. Si autem cephalea contingat propter multam in ſole moram, ſufficienter ex oleo roſato & aceto infrigidatis curari poterit. Quæ tamen, ſi ex hoc non quieuerit, ex alijs infrigidantibus curanda erit. Si autẽ adhuc ſoda perſeuerauerit, & fortior fiat, neque vllo modo remoueatur: & timeatur ne æger vi-

ſum amittat,& aqua ad oculos deſcendat temporum arteriæ ſunt incidendæ & extrahendæ. Hoc tamen,quod nũc loquimur,eſt præter noſtram intentionem in hoc libro.

De Scotomia & vertigine.

Caput II.

CVm aliquis illud quod ante eum eſt,circulariter moueri viderit,& oculi tenebreſcunt,& cadere voluerit,& facies & oculi rubuerint in eadem hora , venæ quoque quæ ſunt poſt aures groſſæ apparuerint,ex ipſis venis facienda eſt phlebotomia,& ventoſæ in collo & tibijs ſunt ponẽdæ. Quòd ſi prædictæ nõ apparuerint venæ , & facies fuerit rubea , ſanguis ex baſilica erit minuendus , & ventoſæ in tibijs erunt ponẽdæ.In hac præterea ſcotomiæ ſpecie,& in ea quam antè diximus,caput ex oleo roſato & aceto eſt infundẽdum.Æger quoque calida cibaria vitare debet. Venter verò ex apozimate mirobalanorum citrinorum , quod in capitulo de cephalea diximus,ſoluendus eſt. Cum autem neque in facie rubedo, neq; febris cum ſcotomia fuerit,attẽdendum eſt an ſit ſtomachi ſubuerſio & nauſea . Quæ ſi affuerint, prius vomere cogendus eſt,deinde de pilulis cochijs doſim vnam ſumat,& à frigidis abſtineat cibis. Si autem neque animæ ſubuerſio , neque nauſea affuerint , neque caliditatis ſigna apparuerint , venter ex pilulis cochijs multoties ſoluatur.Cibaria quoque frigida omnino vitet, & gargariſmus fiat quo phlegma deponatur . In naribus quoq; poſt illud ponatur aliquid de his quæ nominauimus,quò caput calefiat.

De Phrenesi. Cap. III.

QVando aliquem febris cõclusa cõtinua inuaserit cum forti capitis & oculorum grauedine,& in facie atque oculis vehemens fuerit rubedo,& capitis dolor , & horror luminis affuerint, & in pulsu velocitas , & frequentiæ superfluitas inueniuntur,signa phrenesis certissima iudicabuntur. Quòd si lingua nigra aut citrina fiat & permisceatur intellectus, & multum fuerit alienatus, & vigilauerit multum, iam phrenesis perfecta erit . Ægro igitur, antequam prædicta compleantur accidẽtia, est subueniendum ex sanguinis detractione & ventris solutione cum succo fructuum. Nutrimentum verò eius sit aqua hordei, semel aut bis in die sumpta,secundum consuetudinem quam in tempore sanitatis habuit . Caput autem oxirodino infundendum erit. Quòd si multæ affuerint vigiliæ,sumatur violarum siccarum, corticum papaueris albi,hordei excorticati, seminis lactucarum,radicum mandragoræ,omnium ana manipulus vnus.Quę omnia in cucuma plena aqua tandiu coquantur,donec aqua rubea fiat.Deinde aqua illa dum est tepida, ab alto super caput fundatur , & sit caput super ciminile in quo aqua colligatur , quæ in cucuma posita iterum super caput fundatur . Hoc autem omni die multoties fieri conuenit . Caput præterea ex oleo violato , muliebri lacti admixto inungendum erit, quod etiam in coto positum, capiti est superponẽdum.Cum autem Æger in principio huius ægritudinis in virium fortitudine permanere inuentus fuerit, phlebotoman-

dus erit, nisi super infirmum timueris. Postquã verò eius ægritudo minui cœperit, nequaquam phlebotomet. Quòd si eius iam dissoluta est virtus, ex alio præseruet regimine, donec euadat.

De Apoplexia. Cap. IIII.

CVm aliquis quasi dormiens iacet, & sine somno stertit, & cum pungitur, non sentit, tunc iam patitur apoplexiam. Est autem huius ęgritudinis quantitas, secũdum quòd fortiter aut debiliter stertit. Si tamen spuma ab ore exierit, non est ei medicandum. Cum autem parum stertit, ægritudo est leuior. Hęc quidem passio aut cito interficit, aut in paralysim transit. Cum ergo ista visa fuerint, attendendũ erit, an patientis facies multum rubere, aut denigrari aut viridis fieri videatur, quemadmodum contingit cum sanguis in aliquo membro ex coartatione retinetur. Tunc enim sanguis ilico ex duabus guidegi extrahendus est, aut ex duabus cephalicis. Quòd si ita non fuerit, imo cum aërem attrahit, auditur in pectore oregmon, ex hoc clysterio erit clysterizandus. Quod. ℞. coloquintidæ, bothormarien, centaureæ minoris, arthanithæ, hellebori albi, omnium ana manipulum vnum. Coquantur omnia in tribus libris aquæ donec ad vnam redeant. Deinde colentur, & ex media libra huius apozimatis fiat enema. quod si cito exierit, fiat iterum, donec humorũ multitudo simul cum eo exeat. Naribus quoq; condisi & helleborus albus suauiter insuffletur. Et est ingeniandum, vt anacardinũ cum hydromelle per os ad stomachum multotiens descendere cogatur, quaq; die semel: ex quo vnius au

rei pondus in potu sumẽdum est. Cuius descriptio est in capitulo de paralysi. Sartago praeterea ferrea calefacienda est, & capiti multotiẽs adeò vicinanda, vt patientis capilli adurantur. Quòd si hoc modo non sanatur, in medicando plus laborabimus. caput nanque rademus, & ex sinapi trito & castoreo & fortissimo aceto liniemus. In prima autem huius passionis specie, post phlebotomiã stringemus fortiter, adiutoria ligãdo superius parum sub cõiũctione ipsorum cũ spatulis, & stringemus tibias similiter. Capiti quoqꝫ superfundendum est oleum rosatum & acetũ vini, & phlebotomia facienda est prius in pedibus, & postea in nasi extremitate.

De graui dormitatione. Cap. V.

CVm aliquis quasi dormiens iacet, & tamẽ sentit & mouetur, sed oculos secundum plurimum habet clausos quos tamen dũ vocatur cum clamore, aperit, licet iterum statim claudat, iam patitur Subeth, qui cum clysteribus acutis, quae paulo antè nominauimus, curandus est. In os quoqꝫ ipsius mittemus hydromel, & laborabimus vt descẽdat. Ipsum enĩ nutrimentum existit eius. Caput praeterea vsqꝫ ad diatriton primum oxirodino infundemus. Post tertium verò diem sternutationem prouocabimꝰ ex his quę nominauimꝰ. & rademꝰ caput, & liniemus ex sinapi, & castoreo, & aceto.

De stupidis qui semper habent oculos apertos. Cap. VI.

CVm aliquis quasi dormiẽs iacet, & nõ mouetur, & licet oculi sint aperti, palpebras tamen non mouet, congelatus est siue ri-

gidus. Curād⁹ verò est ex medicinis subeth: hoc tamē addito, vt oleū sambucinū sup caput fūdatur: & in omni libra eius sit vncia vna euphorbij. Ipsum quoq; caput ex castoreo & euphorbio & oleo sambucino liniatur.

De Paralysi. Cap. VII.

CVm aliquis se mouere nō valet, aut vnū vel plura ex mēbris mouere non potest, atq; eorū sensum amisit, ipsum paralysim illius mēbri, aut mēbrorū incurrisse pnunciamus. Cuius curā incipiemus pilulas fœtidas quas ego cōposui dando, quæ ℞. pulueris pigræ drachmas decē, coloquintidæ interioris drachmas quinq;, euphorbij drachmas duas & semis, castorei, piperis, assæ fœtidę, serapini, opopanaci, seitaragi Indi, sinapis, omniū septē ana drachmā vnā, centaureæ minoris, elaterij, amborū ana drachmas quinq;, gūmæ in succo rutę dissoluātur, & alia ex eis cōficiātur, & fiant pilulę, & fiāt ex eis decē potiones. Quarū vnā postq̄ æger sumpserit, per tres dies quiescat, & nutriatur tūc cū aqua ciceris & oleo & sinapi, & deinde bibat aliā potionē. Quod postq̄ ter fecerit, per aliquot dies quiescat. Et nutriatur carne frustatim incisa & in sartagine frixa, & mutagenath, in quib⁹ sint species calidæ, vt piper & his similia. In potu verò sumat hydromel. Mēbra quoq; eius ex oleo costino inungātur. Quod ℞. costi vnciā vnā, piperis, piretri, euphorbij, ōniū triū ana tertiā vnciæ vni⁹, castorei vnciā semis, dissoluant̄ omnia in media libra olei de cherua, aut de narcisco, & vtere eo. Diebus vero quib⁹ quiescit, quaque die dandæ sunt duæ drachmæ

i. sapsis

de anacardino, quod ℞. zinziberis, piretri, nigellæ, costi, melanopiperis, macropiperis, oggij, omniũ ana drachmas viginti, myrrhæ, rutæ siccæ, assæ fœtidæ, aristologię, baccarum lauri, castorei, seitaragi indi, sinapis, gentianæ, omnium ana drachmas quinq;, mellis anacardi drachmas quinq;. vngãtur ex oleo nucũ, & cũ melle cocto conficiãtur. Hoc enim medicamẽ valde confert paralysi, apoplexiæ, torturæ, & tremori, albaras, morsibus scorpionis, & omnib⁹ passionibus frigidis, & spasmo humido. Cũ autẽ sumitur, ilico prouocat sudorẽ, & infert febrẽ. Quòd si sumptũ nõ affert sanitatẽ, æger ab omni medicamine per decẽ dies abstineat, excepta dieta, deinde ad ipsius curã redeundũ est. Quòd si paralysis ex percussione, aut casu euenerit, & acciderit subitò, taliter permanebit. Nunq̃ enim sanabitur. Q; si non repẽte ex prædictis, sed paulatim & molliter inuaserit, loco ꝑcussionis emplastrũ hoc apponẽdũ erit, quod ℞. farinã fœni græci, semen ben, semen mahalep, semen resin, bdelliũ amoniacum, adipem anatis, ceram, oleũ de lilio, ex his fiat emplastrũ & superponatur.

De stupore & tremore. Cap. VIII.

CVm aliquis sentit aliquod suorũ mẽbrorum sicut est dispositio pedis cũ fit stupid⁹, dicim⁹ in illo mẽbro stuporẽ esse. Quapropter ei⁹ cura non est differẽda. Quãdo enĩ ꝓlongatur tẽpus hui⁹ ægritudinis, perducit ad paralysim. Curatur autẽ hæc passio ex aliqua parte medicinarũ paralysis, & cũ dieta & vnctiõe ex oleo costino. Quòd si inueterauerit passio, ęger ex pilulis fœtidis purgãd⁹ erit, & cõ

plexio æquanda cum anacardino & dieta. Tremor autem ex eisdem curatur ex quibus sanatur stupor. Sed si ex superflui vini potu euenerit, æger ab ipso erit abstinendus. Similiter si aquam, quę ex niue dissoluitur, bibendo hanc incurrerit passionem, ab ipsa abstineat, & balneum calidissimum ingrediatur, in quo tamdiu moram faciat, donec sudet, & in sole assiduè moretur.

De tortura oris. Cap. IX.

CVm hominis os cõtorquetur, & vnum de oculis suis claudere non valet, & si præcipitur ei vt sufflet, flatus ab vna tantùm parte exire videtur, ipsum tunc contorsionem pati dicimus. Cuius curam incipiemus cum solutione ventris ex pilulis fœtidis. Nutrimẽtum verò eius atq; ipsius potum ponimus, vt in capitulo de paralysi diximus. Aegrum præterea quotidie in mane antequam comedat, sinapim cũ syrupo acetoso gargarizare faciem⁹. Et mittemus eum in domum obscuram, & præcipiemus vt vnam nucem muscatam in parte oris quæ torta est teneat. Naribus quoque insufflabimus condisi, vt sternutatio prouocetur. Spondylos quoque colli eius & faciem eius, & frontem ex oleo costino inũgere cõuenit. Et est quotidie de anacardino vnius aurei pondus sumẽdum. Et si passio hoc modo soluta nô fuerit, ad ventris solutionẽ & ægri præseruationẽ redeũdum est. De tortura verò quæ non repente sed paulatim accidit, non loquimur. Ipsa nanq; nô contingit nisi in phrenesi perniciosa, morte iam imminente, & est ex siccitate.

De Spaſmo. Cap.X.

CVm aliquod membrum alicuius contrahitur,& ad ſuam redit originem,aut pleraq; ex mēbris ſic diſponuntur, ipſa ſpaſmata eſſe pronuntiamus . Spaſmus autem ſubito aut paulatim inuadit. Sed ſpaſmo ſubito euenienti,eadem præparanda eſt cura quam paralyſi conferre diximus.In eo tamē fricatione manuū & vnctione ex oleo coſtino plus vtimur.Spaſmus verò qui non repente ſed ſuauiter accidit poſt febrem aut multam ventris ſolutionem,aut multum vomitum aut ſanguinis fluxum, malus eſt & vix curabilis . Quicquid tamen accidat,ei mederi incipiemus.Aegro nāque hordei aquam & iura vnctuoſa & mollia adminiſtrabimus,&in aquam dulcem tepidam ipſum mittemus, & vngemus ex oleo violato tepido,& oleo de ſeminibus cucurbitæ, & prȩcipuè neruorum radices in quibus ſpaſmus exiſtit.In tina quoq; diu moretur,& ex oleo violato inungatur.De vino bibat patiens parū,quod tamen multum habeat aquæ admixtum, & cibis nutriatur humidis.

De Epilepſia. Cap.XI.

CVm aliquis cadit in terram & torquetur & commouetur,& intellectū amittit,dicimus ipſum epilepticū eſſe.Quòd ſi ſpuma exit per os, aut ſe cōmingit,aut ſperma egreditur,aut egeſtio, paſſio tunc eſt prauior & vehementior. Si autem Aeger anteceſſionem ſentit,quaſi aliquid ex aliquo ſuorum mēbrorum eleuari,& aſcendendo caput petere,& deinde ſyncopizatur & cadit , tunc oportet in

hora qua sentit illud, anteq̃ istud accidat, mem-brũ à quo procedit quod prædixim⁹, fortiter ligare. prohibebit nanq; hoc accessionem venire. In tẽpore verò quietis, corp⁹ multoties erit euacuandũ cũ pilulis cochijs. Et locus à quo exoritur passio, ex sinapi & pipere & euphorbio, ac melle anacardi erit epithimãdus, vbi epithima dimittendũ erit, donec locus vesicetur, & vesicę rumpãtur, & aqua quæ in eis collecta est, effluat. Ipsæ quoq; non cito sunt consolidãdæ, quinimo dimittendæ, vt quod in eis colligitur, emanet: deinde consolidẽtur. Hoc enim omnino huius ægritudinis certa salus existit. Ad vltimum etiã ventosas cũ pauca scarificatione superponere vtile est. Aeger verò si ante accessionẽ nauseam aut tristitiam aut cordis tremorẽ sentit, & deinde ægritudinis accessio sequitur, cogendus est multoties vomere ex aliquo vomitiuo, deinde pigram in potu sæpe acccipere conuenit. Stomacho quoq; emplastrum ex spica, & rosis, & mastice, & cortice thuris, cũ vino odorifero imponendũ est. Nutrimentum præterea eius totum taliter statuendum est, vt paucarum sit superfluitatum, sicut caro frixa in sartagine, & caro cocta in cazolis, & cibus qui fit de aue quadam quæ habet in palato dentes & vocatur taguid, & caro de volatilibus & hœdina. Quòd si cum epilepsia sensuum affuerit tenebrositas & debilitas, neq; aliqua de prædictis significationibus inueniatur, ægro pilulæ cochiæ multoties sunt tribuẽdæ, & eius cõseruatio subtiliãda, & cibaria, quæ diximus, danda. Gargarism⁹ quoq; fieri debet, & sternutatio ex his quæ di-

ximus ꝓuocāda, ac narib⁹ peoniæ puluis ſubtiſſimus qui ſimilet alcohol, inſufflādus. Si quis autē cū epilepſia in facie & oculis rubedinē habuerit, & venarū groſſitiē, phlebotomādus erit ex vena ſaphena. Sanguis etiā ex carnoſitate tibiarum cū ventoſis erit extrahēdus. Capiti pręterea oleū roſarū & acetum ſuperfundātur. Et abſtineat à vino & à cepis, & allijs ac ſinapi, & porris, & apio, & fabis, & cannabi, & poſtremo ab omnibus fumum caput aſcendentem & replentem generantibus. Electuarium quod omni epilepſiæ ſpeciei remediū affert, ℞. piretri, ſiſeleos, ſticados, omnium ana drachmas decē, agarici drachmas quinq;, cordumeni recentis & acuti, aſſæ fœtidæ optimæ, ariſtologiæ rotundę, omnium ana drachmam vnam ſemis. Deinde extrahatur ſuccus ex ſquilla, & mixtus cū pari quātitate mellis coquatur, & conficiātur ex eo ſpecies, & fiat electuarium, ex quo patiens quotidie ſumat, & caueat ſibi à groſſis cibis. Electuariū hoc omnib⁹ epilepſiæ ſpecieb⁹, excepta vna ſanguinea, quā Galenus nominauit, & nos etiam eius fecimus mentionem, opitulatur: cui vidi conferre phlebotomiam ex ſaphena prius, & poſtea ex baſilica. Deinde ei⁹ regimen ſit ex his quę ſanguinē in corpore minuunt & ipſum infrigidant. A carne præterea & vino abſtineat, & bibat rob acetoſorū fructuum, capiti quoq; ſuperponantur ea quæ ipſum infrigidant.

De Incubo. Cap. XII.

CVm quis in ſomno quaſi rē grauem aliquid ſuper ſe cadere ſenſerit, incubum pati denuntiandus eſt. In ipſius itaque

cura non est tardandũ,ipse enim epilepsiæ prę-
ambulus est,ipsam nanq; præcedit. Aeger ergo
si in colore rubeus fuerit,& venas habuerit ple-
nas, ex saphena erit minuendus, & ventosæ in
carnositate tibiarum ponendæ sunt. Aeger prę-
terea à potu vini & rerum dulcium comestio-
ne abstrahendus erit, & præcipuè ab omni re
quæ multum generat sanguinem. Quòd si huic
contrarium acciderit, venter ex pilulis cochijs
multoties erit soluendus & eius regimen subti-
liandum. Exercitio quoque vtendũ erit, & mẽ-
bra inferiora erunt fricanda.

De Melancholia. Cap. XIII.

CVm alicui cogitatiões malæ sine causa manifesta acciderint, & timor & tristitia in eo præualuerint, melancholię principium in eo est. Cum autem res ad hoc deuenerit, vt etiam ea quæ cogitare cœpit. ore promat, verbáq; sua atq; actus permisceat, iam melancholia perfecta est. Cui ergo hæ malæ cogitationes & tristitia & tribulatio accidũt, anteq̃ prępualere incipiãt, succurrendũ est. Quia si prę-ualuerint, cura erit difficilis. Quòd si cum melã-cholia fuerit dolor ventris & inflatio, & malus color, & digestionis corruptio, & vomitus acetosus, & excreationũ multitudo, incipienda est cura cũ phlebotomia ex basilica, aut saluatella sinistræ manus. Et si sanguis visus fuerit niger, dimittat egredi in q̃titate multa. Subtilis autẽ & rube⁹ si fuerit, ilico restringẽdus erit. Aeger verò ex rebus lenientib⁹ est nutriẽdus, vt sunt alessidebegi, quæ fiunt ex carne hœdina & arietina, & mittẽd⁹ est in balneũ, in quo nõ diu mo

retur. Post hæc autem decoctione de epithimo quam ego cõposui, vtatur. Hæc est decoctio de epithimo: ℞. mirobalanorum indorũ drachmas decem, polipodij drachmas quinq;, sene drachmas nouẽ, turbith drachmas quatuor, sticados drachmas decem, passularum enucleatarũ drachmas decem, epithimi Cretensis drachmas decem. Omnia excepto epithimo in tribus libris aquæ coquenda sunt donec ad vnam libram & mediam redeant. Cúmque hoc factum fuerit, addatur epithimum, & illico ab igne remoueãtur & dimittantur donec infrigidari cœperint. Cúmque infrigidata fuerint, manibus fricata colentur. Deinde sumantur agarici duæ tertiæ drachmæ vnius, aloes drachma vna, salis indi drachma semis, hellebori nigri quarta vnius drachmæ: conficiantur cum melle, aut cum iuleb, & fiant ex eis pilulæ quæ per tres horas ante decoctionis acceptionem sumẽdæ erũt. Postea sumat decoctionẽ, deinde trib⁹ diebus quiescat. In his autem diebus quibus quiescit, nutriatur ex his quæ prædiximus, & in potu sumat vinum subtile & clarũ & bene odoriferũ. Post hæc quoq; iterũ soluendus est vt pri⁹, hoc verò ita vt prædixim⁹ tertio iterandũ est, quarta quoq; potio ei danda est. Aeger verò ab omnibus quæ cholerã generant nigram, abstrahẽdus est, vt sunt carnes syluestres omnes, & caro vaccina & porcina, & magnarũ caprarũ, & fabæ, & caro salita, & caseus vetus, & propriè lẽtes, & omnia olera nisi humefaciẽtia. Vitet præterea vinũ grossum, & laborẽ & vigilias, neque patiatur famem neq; sitim, vino vero subtili in

potu vtatur,& pręcipiendū est ei vt dormiat,& studendū in splenis curatione, ex his quæ in sequētib9 in capitulo de splenis curatione qui augmentaт̄,dicturi sumus.Os quoq; stomachi cōfortandū est,& ꝓpriè ex medicinis,quarū mentionē in sequētib9 facturi sumus cū ęgritudines stomachi nominabim9.Si autē cū melancholia ea quę nominauim9 nō fuerint,accideritq; post phrenesim aut lōgā morā sub sole,aut pcussionē ī capite,ī pricipio ex cephalica phlebotomia est faciēda,&capiti studiū adhibēdū ex reliquo regimine quod diximus propriè.Aqua prætereа tepida ab alto loco super caput fundēda est, deinde oleū rosatum cū aceto vini capiti infundatur,& lac muliebre desuper mulgeatur. Naribus etiam oleum de seminib9 cucurbitæ dulcis & lac muliebre inijciantur.In balneū quoq; sæpe mittēdus est,& multū ex aqua tepida capiti est superfundendū.Aeger etiā omnia odorifera quæ frigida sunt odoret.Si autē cū melancholia nihil fuerit eorū quæ diximus, in principio matrix vena dextri brachij aperiēda erit,& sanguis cōsiderandus, & vt pędixim9 faciēdū, & regendū vt dixim9.Et postq̄ hoc regimē infirmo adhibueris,ꝑ aliquot dies quiescere dimittendus est,deinde vt prius in cura eius incipiendum,donec sanitatis fiat restitutio. Studiū verò totū quod erga melancholicos est, obseruandū est,vt inpinguētur & carnosi fiāt. Ex quo enim pingues & carnosi fuerint,ilico sani erunt.Cibi autē qui illis cōgruūt sunt caro arietina,& hœdina,& gallinacea,& panis de simyla . Opirus autē panis nullo modo est eis cōgruus. Vinum

quoqꝫ subtile & clarũ eis cõueniẽs est. Vinũ verò grossum nõ est eis bonũ, neqꝫ nigrũ. Lac autem recẽter ab vberib⁹ extractũ dum adhuc calet, eis cõfert, & pisces recẽtes, & sisami de zuccaro facti, & oleo amygdalino. Pręterea audire cãtilenas & gaudere & habere ante se res deliciosas & dormire plurimũ, cõfert eis. Econtrario verò cogitare & solus morari, & vigilare maximè nocet eis. Pilulæ quæ cholerã nigrã expellũt, ex quib⁹ datur his qui decoctionẽ sumere nequeũt, ℞. epithimi Cretẽsis drachmas viginti, polipodij, agarici, amborũ ana drachmas decem, hellebori nigri, salis indi, amborũ ana drachmas quinqꝫ, sticados drachmas septẽ, pulueris hieræ pigræ drachmas quindecim, bibat ex eis drachmas tres. In diebus verò quibus quiescit, æger debet sumere ex electuario quod vocatur lætificãs, qđ ℞. melissę, corticũ citri, garyophylorũ, gallię muscatę, masticis, croci oriẽtalis, cinamomi, nucis muscatæ, cardamomi, neheremisch, been albi & rubei, zedoariæ, doronici, seminis ozimi maioris, seminis ozimi garyophylati, õniũ ana partes æquales, musci q̃tũ est decia pars drachmę vni⁹. Deinde sumant chebuli. xx. & ẽblici. xxx. & terãtur, & in trib⁹ libris aquæ coquant donec ad vnã redeãt, & colẽtur. In colatura verò mittat mellis lib. I. Deĩde bulliãt donec aqua cõsũpta sit. Pòst ex hoc melle cõficiãtur prędictę species, quod tamen in põdere sit triplũ ad species, de quo, cũ necesse fuerit, ad magnitudinẽ auellanę sumendũ est. Hoc enim medicamẽ lętitiã & coloris pulchritudinẽ & digestionis bonitatẽ operatur, & retardat canos.

De Catarrho. Cap. XIIII.

CVm caput alicuius in egressione balnei discoopertũ fuerit, aut post exercitium aut post aliud, fueritq; aër frigidus, & ventus septẽtrionalis, & acciderit inde naribus & palato pruritus & commotio, & sternutatio: Pannus tũc calefaciẽdus erit, & capiti superponendus. in quo tandiu moretur donec æger calorem in capitis profunditatẽ penetrasse sentiat. Deinde nigellã odorare incipiat, & prouocetur sternutatio, & caueat ne supinus iaceat, & comedat parum. A vino quoq; omnino abstineat. Quòd si passio ex appositiõe panni calidi alleuiata non fuerit, neq; minuitur per ipsum, fiat phlebotomia ex cephalica, & soluatur natura ex rebus quæ non exasperant, sicut hæc decoctio, quã in potu sumere debet qui tussim patitur, & in pectore asperitatẽ habet, & indiget ventris solutione, que ℞. iuiubas viginti, sebestẽ triginta, passularũ enucleatarũ decẽ drachmas, violarũ siccarũ drachmas quatuor, radicis liquiriciæ fractæ drachmas quinq;, ficus citrinas decem, coquãtur in trib⁹ libris aquæ, donec redeãt ad vnam, & colentur, & in colatura dissoluantur, cassiæ fistulæ drachmas septem, tereniabin drachmas decẽ. Quòd si neq; phlebotomia profuerit, neq; ventris solutio, & materia ad pect⁹ descẽderit, & cõmoueãtur tussis & febris, ilico fiat phlebotomia, & patiẽs à carne abstineat & vino, & in potu sumat aquã hordei, & muraba violatũ q̃diu calor fixus perseuerauerit, & tussis fuerit sicca & aspera. Sed postq̃ calor quieuerit, & tussis mollificata fuerit, & screare incœperit,

hæc decoctio quaq; die cũ muraba violato dãda erit donec pectus mundificetur, & tussis sedetur, & vox clara reddatur, quæ ℞. ficus citrinas quinq;, iuiubas decem, sebesten viginti, passularum albarũ & enucleatarũ drachmas decẽ, liquiriciæ excorticatæ drachmas quinq;. coquãtur vsq; ad dissolutionẽ & colentur, & dentur ex hoc omni die vnciæ tres in potu cũ muraba violato drachmis quinq;. Si vero tussis inueterauerit ac diu permanserit, tunc ostendemus qualiter curanda sit, cũ de tussis cura tractabimus. Quòd si cursus in naribus diu perseuerauerit, & non fuerit calor, fluxus erit restringendus suffumigando nares per traiectorium. Et si quod per nares effluit, subtile & acutum ac citrinum fuerit, suffumigatio fiat ex sulphure infuso prius in aceto & postea siccato, aut ex fabis aut hordeo excorticatis, & in aceto prius infusis, & postea siccatis, aut ex zuccaro albo, & sandalo albo. Q. si neq; calor neq; rubedo in facie fuerint, suffumigatio fiat ex costo aut thure. Hæc nanq; suffumigatio fluxũ restringit.

De Ophthalmia. Cap. XV.

CVm ea quæ in oculis alba sunt in rubedinẽ mutata fuerint, fluxerintq; lachrymę, & in angulis oculorũ lachrymalib9 lippitudo collecta fuerit, dicemus tunc ægrum pati ophthalmiã, & quanto plus symptomatũ vehementia, aut ipsorũ affuerit minoratio, tanta erit ophthalmiæ fortitudo aut eius debilitas. Deterior autẽ ophthalmia est cũ alba oculorũ videtur inflata, & adeò eleuata, vt oculorũ cooperiant nigredinẽ & palpebræ inuersentur. In prin

cipio verò curationis ophthalmiæ cephalica est phlebotomãda ex manu vel brachio partis contrariæ in qua est ocul⁹ infirmus, nisi leuis fuerit ophthalmia. Et q̃to fortior fuerit ophthalmia, tanto pl⁹ est minuendũ ex sanguine. Deinde vẽter ex mirobalanis citrinis, & tereniabin, & succo fructuũ soluẽd⁹ est. Et æger à carne & vino, & à reb⁹ dulcib⁹ abstinere debet, & cibũ minuere. Q̃ si ista nõ suffecerint, fiet albũ in lacte puellã lactãtis fricandũ, & in oculos distillãdũ. Et si lippitudinis multitudo in oculo collecta fuerit, radius coto inuoluat̃, & madefiat in aqua, & cũ eo oculus ab illa lippa mũdet̃. Deinde puluis albus aspergat̃, & supponẽdo oculis aliquid suauiter sustẽtetur, & liget̃, & æger in domũ tenebrosam mittat̃, & ingeniandũ est q̃tũ possibile est vt somn⁹ ꝓuocet̃. Caueat tamẽ ne sup oculũ infirmũ dormiat, & ne caput depressum sit, sed superi⁹ eleuatũ, neq; vestimentorũ capitia sint stricta, neq; in faciẽ se diu ꝓijciat. Si autẽ oculus leuior fiat, & dolor sedetur, ac lachrymæ minuant̃, phlebotomia iã facta & vẽtre soluto balneũ multoties & frequẽter ingrediatur. Ex hoc enĩ passiõis reliquię dissoluent̃. Q̃ si ĩ oculo humorositas & grauedo remãserit, puluis citrinus erit immittẽd⁹. Ex his autẽ quę habẽti ophthalmiã multũ cõferũt, est, vt frons & palpebrę ex hoc liniãtur epithimate, quod ℞. fiet memithæ, rosarũ, aloes, licij, sandali rubei, faufel, croci orientalis, omniũ ana partes æquales. fiant ex his pilulæ, cũmq; necesse fuerit resoluatur vna ex eis in succo coriandri aut in succo endiuiæ: aut cũ aqua rosata, & liniatur cũ eo, & sanabitur si

cautio

Deus voluerit. Sief albũ, ℞. cerusæ ablutæ drachmas decẽ, sarcocollæ grossæ drachmas tres, dragagãti drachmã vnã, opij drachmæ semissẽ: fiant ex his formæ lenti similes. Puluis citrinꝰ, ℞. sarcocollæ grossæ drachmas decẽ, aloes drachmas duas, croci drachmas duas, myrrhæ drachmã vnã, licij drachmas duas: ex eis optime tritis immittat̃ puluis cũ opus fuerit. Puluis albꝰ, ℞. sarcocollã albã & pinguẽ, quæ mittat̃ in lac mulieris, quod melius erit cũ alicuiꝰ iuuenculæ fuerit, & dimittat̃ in vmbra donec siccet̃, & terat̃ optime, & õnibꝰ drachmis decẽ, ipsiꝰ addãt̃ de sief memithæ drachmæ duæ, quę iterũ optime trita reponãtur, & cũ opꝰ fuerit, in oculum mittantur. De vlceribꝰ oculorũ. Cap. XVI.

pulvis citrinus

CVm ĩ oculo fortis dolor, & pũctio nociua ac pulsus sentiũtur, & lachrymarũ fluit multitudo, cũ palpebræ eleuant̃ & oculi aperiũtur: loca quę sunt in albis ipsorũ inueniũtur rubea, aut si totũ fuerit rubeũ, & vnꝰ locus magis rubere inuenitur, aut in nigredine locꝰ aliquis albꝰ apparet, pustula iã in oculo exorta est. Ad hãc vero curãdã passionẽ necessariꝰ est Medicꝰ in curis oculorũ valde instructꝰ. Nos tamẽ curatiõis ipsiꝰ sũmas & aggregatiões dicemus. Dicimꝰ itaq; ꝙ vlcera quę in cõiũctiua nascũt̃, hoc est, in albis oculorũ, nõ adeo sũt timẽda vt ea quæ in cornea, hoc est, ĩ oculi nigredine fiũt. Deteriꝰ vero vlcerũ est illud quod in nigredine sub pupilla existit, eminẽtia nãq; ad istud est velocior. Horũ autẽ vlcerũ curã cũ phlebotomia incipere debemus, & sanguinis extrahere multitudinẽ secũdũ quod possibile fuerit. Cõsequẽ

ter autẽ venter soluendus, & Aeger sibi cauere debet à carne & vino dulci,&esse cõtentus herbis frigidis,& in potu sola aqua vti.In oculo vero in initio sief albũ cum lacte mulieris mittẽdum , & si pulsus iam alleuiari & sedari videtur, sperandũ est quòd ægritudo soluatur sine saniei collectione.Quòd si pulsatio post sanguinis extractionẽ & ventris solutionẽ,ac sief albi immissionẽ quiescere nõ videtur,parua fiducia in hoc quod diximus est habenda. Est itaq; tũc sief de olibano mittendũ in oculũ,& pila aliqua oculo superponẽda,& cũ ligatura stringẽda.Antè verò q̃ hoc eueniat,oculus suauiter est ligandus,& sine superpositione pilæ, & nõ cesses in oculũ de sief de thure sępe distillare donec sanies in pila videatur.Ex quo enim hoc visum fuerit, sief de plũbo vti necesse erit vsquequo ꝓfunditas fiat plana,& tota caro generetur. Et tamen quæ dixim⁹ tũc sunt faciẽda, cũ pustula nõ est magna.Quoniã cũ magna fuerit,fuerit'q; iuxta pupillã,aut infra eã,erit tũc necesse vt cũ eleisir medicet̃ ne oculus emineat.Ad pilæ quoq; supꝑpositionẽ & ligaturã erit redeũdum.Aeger pręterea semꝑ supinus iacere debet,&à forti motu abstinere.Cũ autẽ çaro in loco vlcerũ pfecte generata fuerit,vel loc⁹apostematis carne replet⁹ fuerit,remanebit ibi ĩ oculo albedo. Q̃ꝛ si vlcus fuerit profundũ, albedo erit grossa,& si in supficie tãtũ corneę fuerit,erit subtilis.Vlc⁹ quoq; si à pupilla fuerit remotũ,& steterit separatim ꝑ se vestigiũ illud quod remanet , nihil mali faciet.Si autẽ iuxta pupillã fuerit quãdoq; post vlceris curationẽ vestigiũ remanens ꝓhibebit vi-

sionẽ. Quapropter tũc est vtendũ medicinis quibus vestigiũ, quod diximꝰ, abstergi & deleri possit. Sief de thure, ℞. armoniaci, sarcocollæ amborũ ana drachmas quinq;, thuris drachmas decẽ, croci drachmas duas: conficiantur ex muscillagine fœnugræci, & fiant ex eis sief. Sief de plũbo, ℞. plumbi adusti, antimonij, thuciæ ablutæ, calcecumenon, gũmi arabici, dragagãti, omniũ ana drachmas septem, opij drachmæ semissem: terantur, & cum panno serico qui sit subtilissimus, cribellentur, & conspergantur ex aqua pluuiali, & fiant ex eis sief. Sief ex quo caro in vlceribus oculorum generatur, & vueæ egressio prohibetur, & vestigium subtiliatur, ℞. climiæ ablutæ, thuciæ ablutæ, cerusæ, antimonij, thuris, omnium ana drachmas duas, myrrhæ drachmam vnam, sarcocollæ grossæ drachmã vnã & semis, sanguinis draconis, aloes, opij, omnium ana drachmam vnã, fiat ex eis sief. Eleisir quo est vtendum cum timetur ne ex vlcere vueę sequatur egressio, ℞. antimonij, ematitis, amborũ ana drachmas decẽ, acaciæ drachmas tres, aloes drachmam vnam: terãtur, & fiant ex eis sief, & administrentur apud necessitatem.

De his quæ in oculos cadunt, siue sit pilus siue palea siue aliud. Cap. XVII.

SVmatur resina, id est, gumma pini, & per oculum trahatur, & extrahit illud quod in oculum cecidit.

De albedine quæ fit in oculo. Cap. XVIII.

ALbedo quæ in oculis contingit, est vestigium post vlcerum curationẽ remanens quando consolidantur. Quæ cum in ocu

lis puerorum fit, leuior est ad curandum, quàm cum in senibus. Cum enim fit in senibus fortasse ad sanandum impossibilis est nisi subtilissima fuerit. Hæc autem passio ex his medicaminibus curanda est. Postquàm æger balneum egressus fuerit, aut faciem super vaporem aquæ calidæ vsquequo rubea sit tenuerit. Si tamen ex hoc medicamine in venis oculi rubedo & dolor prouenerint, per aliquot dies ab eo quiescendum est donec oculus quiescat, & pòst ad id redeundum. Medicamen valde vtile ad albedinem remouendã & cito eradicandam. Ego quoque non vidi quod eo melius aut æquale esset ad albedinem delendam, ℞. massacumię, spumę maris, stercoris magni lacerti, baurach, zuccari higeri, omnium ana partes æquales. Deinde sumantur acori, cœlidoniæ, amborum ana drachmæ decem, coquantur in libra vna aquæ donec ad quartam redeant & colentur, & ex hac aqua imbibantur species quas prædiximus, ita quòd conficiantur ex ea & siccentur in vmbra, deinde iterum terantur & conspergãtur vt prius, & siccentur, quod postquam quater factum fuerit, siccentur & terantur, & in oculo mittantur. Hoc enim medicamen nulli, vt prædiximus, compar existit in remotione albedinis. Remouet enim hoc medicamen grossam albedinem etiam ex oculis animalium.

De Scabie & Sebel. Cap. XIX.

CVm palpebra inuersatur & interius apparet rubea & aspera, scabies adest. Et cum super alba oculorũ ac super nigredinẽ videtur similitudo pãniculi ex venis rube-

is & grossis texti, adest passio quæ vocatur sebel. Hæ vero duę passiones graues sunt & chronicæ, & vix curabiles. Patiens tamē dum sanus est, phlebotomia ex brachio & fronte & ventris solutione vti debet, & in comestione vitare dactilos, & sisamos de melle, & vitet ebrietatē. Et quando non est plenus, sæpe ingredi balneū est ei vtile, & frequenter immittere oculo sief rubeum similiter confert. Sief rubeum, ℞. emathitis, colcotar combusti, amborum ana drachmas tres, æris vsti drachmas duas, myrrhæ, croci, amborum ana drachmā vnam, piperis lōgi drachmæ semissem, conspergantur ex vino veteri, & fiat ex eis sief. His præterea ægritudinibus viride confert sief, cuius descriptio in capitulo de vngula continetur. Quòd si passiones istæ vetustæ fiant, scabies fricatione indigebit, & sebel collectione. Non tamen mensuræ huius libri congruit, vt de his tractemus.

De lachrymalibus cū pruriunt. Cap. XX.

ENdiuia tenera sumatur & conteratur & fiāt ex ea magdaliones parui, & ex oleo violato inungantur, & oculis superponātur, & in hora dormiendi ligentur, rosatum tamen melius est, & citius confert. Et si hoc non suffecerit, lentes absq; corticibus, & sumach, & rosæ rubeæ, & granati carnositas sumantur, cōtrita ex careno cōspergātur, & more emplastri superponantur. Quod si nō suffecerit, ex cephalica prius phlebotometur patiēs. Deinde ex vena frōtis, & ex venis quę sunt in angulis lachrymalibus. Venter quoq; frequenter soluatur, & balneum multoties ingrediatur.

De Vngula. Cap. XXI.

CVm aliquid pãniculo simile, ex angulo, qui est ex parte naris, oriri videtur, & album oculi cooperire, & peruenit vsque ad nigredinem, generatur pãssio quæ vngula dicitur. Cuius nocumentum, tũc solum est peius, cum peruenit ad nigredinis partẽ quæ est iuxta pupillam. Hæc igitur passio dum subtilis est cum sief viridi, & sief de chalcãtho est medicãda. Si autem vetusta fiat & grossa, cũ ferro est euellenda. Sief viride quod confert sebel, & scabiei, & vngulæ, & albugini, ℞. ziniar drachmas tres, colcotar vsti drachmas sex, arsenici rubei, baurach, spumæ maris, omnium ana drachmã vnã, salis armoniaci drachmę semissẽ, amoniaci drachmas duas. Armoniacum in succo rutæ dissoluatur, & species ex eo conspergantur & fiãt ex eis sief, est enim mirabile. Sief de chalcantho quod confert vngulæ, ℞. æris vsti, chalcanthi amborũ ana drachmas quinque, ziniar drachmas duas, salis armoniaci, baurach, arsenici sublimati omnium ana drachmam vnam: terantur, & per hebdomadam vnam dimittãtur, deinde fiant ex eis sief, & fricetur vngula cum eis.

De macula rubea ex percussione vel alia re. Cap. XXII.

CVm in oculo ex pcussione aut ex re alia punctum rubeum fieri cõtingit, sanguis qui ibi est dissoluẽdus est, postquam æstuatio quieuerit. Sumantur igitur arsenici rubei, olibani, myrrhæ, armoniaci, omnium ana partes æquales, & fiant ex eis sief. Qui in succo coriandri fricẽtur & in oculũ distillentur. Quã-

diu tamen dolor perseuerat, albumen oui sumẽdum est & oleo rosato miscẽdum, & cotum ex eis inuolutum, oculo est superponendum.

De Lachrymis. Cap. XXIII.

CVm lachrymales oculorum anguli semper humidi videntur, patiens quotidie ieiunus balneum ingrediatur, & in oculum alcohol istud mittatur. Istud autem alcohol, ℞. thuciæ drachmas decem, coralli rubei, mirobalani, citrini fricati, aloes, omniũ ana drachmas duas, piperis drachmę semissem fiat ex his puluis qui assidue immittatur oculo.

De debilitate visus. Cap. XXIIII.

SI cum debilitate visus humiditatis signa apparuerint manifesta, quę in tempore famis & exercitij parumper dissolui videantur, Pilulæ cochiæ multotiens erunt infirmo tribuendæ. Nutrimentum quoque patientis desiccatiuum esse debet, & Æger sæpe vomere cogẽdus est. Pulueres etiam desiccatiui oculis sunt immittendi. Quòd si cum prædicta ægritudine affuerint siccitas & corporis macies, nutrimentum erit augmentandum, & vinum in potu tribuẽdum, ac super caput ipsius aqua tepida fundenda, & incuruatio super eam facienda. Balneum præterea ingrediatur, in quo tamen nõ multum sudet. Naribus quoq; oleum de amygdalis dulcibus atq; auribus est immittendũ. Oculis vero lac mulieris adolescentis quaque die est inijciendum. Quod etiam frequenter fieri conuenit. Hæc quoque debilitatis visus species fortior fit in tempore famis, & dum venter vacuus fuerit. Confectio alcohol quod valde acuit vi-

sum, qui causa humoris debilitatur, ℞. thuciæ ablutæ & siccatæ drachmas viginti, deinde extrahatur succus sansuci viridis, & per noctem vnã residere dimittatur, & coletur, ex quo thucia cõspersa dimittatur quousque siccetur, postea teratur. Deinde sumantur zinziberis, piperis nigri, macropiperis, cœlidoniæ, omniũ ana drachmæ duę, salis armoniaci drachma vna cũ thucię drachmis vigĩti, hęc oĩa terãtur, & ex succo teneri fœniculi cõsperganť, & siccata iterũ terãtur, & reponanť. Et cũ necesse fuerit oculis ĩmittanť. Ad hoc p̃terea valde cõfert sief de fellibus.

De tumore palpebrarum. Cap. XXV.

EPithimetur ex epithimate, quod in capitulo de Ophthalmia nominauimus.

De conuersis pilis qui nascuntur in palpebris magis interius quàm debent, & pũgunt oculum. Cap. XXVI.

SI pilus fuerit vnus aut duo, alijs palpebrarum pilis cum mastice aut oleo Seni sunt annectendi, aut radicitus euellantur, & loca à quib⁹ euulsi sunt cum ferro acuto aut acu adurantur. Si autem multi fuerint, necesse est vt caro palpebræ incidatur. Loqui tamen de hoc nostri libri mensuram prætergreditur.

De cataracta siue aqua descendente in oculum. Cap. XXVII.

QVandoq; alicui videtur ꝙ ante se habeat cimices, aut alia parua corpora subtilia & radiosa. Quod aliquando causa stomachi, aliquando ex proprio nocumẽto ipsius oculi contingit. Ideóque differentia inter hęc duo cõsiderãda est, neq; ꝑ paruo est habẽdũ cũ

hoc accidēs euenerit. Ex eo nanq; qđ causa stomachi accidit, nō est multū timēdum ꝙ oculo nocumētum inferat. Ex eo vero qđ ex proprio vitio oculi cōtingit, valde timēdū est, hoc enim aquę principiū existit. Hęc autē passio dū recēs est & in principio, cū medicinis curabilis est, sed cū iam ad ꝑfectionē deuenerit, sanari nō potest, nisi cū incisiōe, & fortasse etiā incisio ꝓdesse nō poterit. Quapropter differētia inter hæc duo p̃dicta diligēter est inuestigāda, quæ est prout dicemus. Quādo imaginationes quę vidētur, vtriq; apparēt oculo, existimādū est cōtingere hoc ex vitio stomachi, & ecōuerso. Et cū imaginatiōes in hora fastidij & in hora malę digestionis plures solito videnť, in hora autē famis & laboris pauciores apparēt, existimandū est etiā hoc ex stomacho esse. Et si ex quo istę imaginatiōes acciderūt, duo pręterierūt mēses aut plures, & in pupilla nō fuerit visa cōturbatio, existimādū est etiā hoc esse ex stomacho. Quādo autē istę existimationes tibi aggregatę fuerit, pilulas cochias in potu tribue, & si passio oīno remoueť, iam existimationes p̃dictę certificatę erūt. Si aūt vni tantū oculo apparuerint, & vno modo in oībus horis ꝑmāserint, existimandū est vitiū aquę adesse, præcipue cum in pupilla nō fuerit obfuscatio. Obfuscatio nanq; si fuerit in pupilla, dubitatio iam tunc erit sublata. Cū autē passio hæc in oculo propria fuerit, prohibendū est infirmo ne cum ventosis minuat sanguinem, neque ex brachio, neque comedat pisces, nec omnia quæ humectare possunt. Venter vero frequenter soluēdus est ex pilulis cochijs, & æger ex calefacti-

uis & desiccatiuis nutriẽdus est, hydromel præterea in potu ei tribuendum, & in oculis sief de fellibus mittendum. Sief de fellibus quod proficit aquæ in principio & dilatationi pupillæ, & eis qui post occasum solis non vident, & tenebrositati visus quæ est ex humore, ℞. fellis gruis, fellis sabot, fellis hircini, fellis accipitris, fellis aquilę, fellis perdicis, omnium siccorum vnũ aut plura, sumantur quoque pro omnibus drachmæ decem istorum siccorum, euphorbij, coloquintidæ, serapini, omniũ ana drachma vna, trita aggregentur, & conspergãtur ex succo feniculi teneri, & mittantur in oculum.

De noctilopis, id est, qui post solis occasum non vident.

Cap. XXVIII.

AD hoc vtile existit epar caprinum scindere, & ponere super vnam sectionem piper longum, & cooperire ipsam ex alia sectione, pipere longo in medio existẽte. Deinde ponere ipsum in furno, & dimittere ibi donec assetur, & desiccetur, & non comburatur. Quo facto, piper longum quod in medio erat, sumatur, & bene teratur cum pauco musco, deinde ex liquore qui ex epate assato expressus fuerit, conspergatur & siccetur & in oculum mittatur. Aut fel caprinum cum melle mixtum in cucuma super ignẽ coquatur, deinde radius eo illinit⁹ immittatur oculo. Quod autem ad hoc magis valet, est vt sief de fellibus in oculũ mittatur. Si autem hoc non suffecerit, venter soluatur, & sanguis ex duabus cephalicis & ex fronte minuatur, & regimen subtilietur.

De dilatatione pupillæ. Cap. XXIX.

CVm pupilla, hoc eſt, foramẽ quod eſt in nigredine oculi, adeo dilatari videtur, vt vndiq; pertingat ad albedinem, fuerítq; poſt vehementem cephaleæ dolorem, parua habenda eſt fiducia in eius cura. Sed ſi dilatatio parua fuerit, tunc aſſidua ſolutionẽ ventris ex cochijs: multoties & ſief de fellibus in oculum mittendum. Quòd ſi pupillam poſt percuſſionẽ dilatari contingat, non eſt inde timendum, quia remouebitur. Fiat itaque emplaſtrum ex farina fabarum & camomilla, & euiſco cum vino & aqua.

De fiſtulis quæ in angulis lachrymalibus fiunt. Cap. XXX.

CVm angulus lachrymalis reſudat, & cũ premitur, ſanies & virus ab eo egrediatur, fiſtulam pati intelligitur, quæ cũ cauterio curatur. De hoc tamẽ loqui plus eſt quàm huic noſtro attinet libro. Nos tamen iam ei adiungimus medicamen, quod ſi adhibitum fuerit, ipſam per multos menſes adeo tardare facit, vt æger ſanus videatur. Medicamen autem illud, eſt. ℞, aloes, thuris, ſarcocollæ, ſanguinis draconis, balauſtiæ, antimonij, aluminis, omniũ ana partes æquales, ziniar, quantum eſt quarta pars vnius, fiant ex eis ſief. Cúmq; neceſſe fuerit, fiſtula in tantum prematur, vt quicquid ſaniei in ea continetur, egrediatur. Deinde infirmus ſuper lat⁹ in quo nõ eſt fiſtula iaceat, & de prędicto ſief aliquid diſſoluatur in aqua, de quo in angulo lachrymali tres guttæ aut quatuor ĩmittantur, magno exiſtẽte interſtitio inter pro-

iectionem vnius guttæ & alterius . Quo facto, Æger per tres sic iaceat horas. In mane quoque sequenti die, similiter fistula bene prematur, & fiat eadem cura. Quod per hebdomadam vnam fieri conuenit, & etiam tandiu donec nihil à fistula egrediatur, cum premitur. Ex hac nanque cura, locus multis mensibus siccus permanebit. De curis oculorum quantum huic loco necessarium esse putauim9, iam satis dictum esse credimus. Alia vero, quia sunt de curis quæ per ferrũ exercẽtur, dimittamus, quia multis indigẽt medicaminibus. Sunt tamen quædam ex eis quę in locis in quibus de decoratione tractabimus, & sanitatis custodia, continentur.

De dolore qui fit in aure. Cap. XXXI.

SI cum dolore qui fit in aure, fuerit in facie inflammatio & pulsatio, sanguis ex cephalica erit minuendus, & oleum rosatũ, aut oleum de floribus salicis tepidum cum pauco aceto est immittendum, lac quoq; ita calidũ vt ex mamilla egreditur multoties distillãdum erit. Venter præterea ex mirobalanis citrinis & scamonea & aloe vehementer soluat̃, quod hoc modo fit, ℞. mirobalanorum citrinorum drachmas viginti, & puluerizatæ in duabus libris aquæ coquantur donec ad duas vnius lib. tertias redeant, & colentur. Post hoc sumatur aloes drachma vna, scamoneæ sexta pars drachmæ vnius, aggregentur cum rob de citonijs, & fiant ex eis pilulæ, quæ per duas horas ante decoctionem sumantur, deinde bibatur decoctio. Quòd si dolor non quieuerit, parum opij in oleo rosato resoluti in aurem mittatur. Et si pulsatio re-

dierit & tribus diebus perseuerauerit, oleum sisaminum in quo anatis aut gallinę adeps fuerit resolutus in aurem sæpe mittatur, ibi nanq; est pustula quæ maturatione indiget. Cum autem dolor quieuerit, putredo iam tunc collecta erit, ideóq; pus subito ex insperato de aure egredit. Cum autem dolor in aure fit post fastidiosam satietatem, aut post vẽtos frigidos, oleũ in quo ruta aut cepæ coctæ fuerint in aurem distillet. Et si hoc non suffecerit, oleũ in quo turbith coctum fuerit distilletur, aut oleũ de lilio sumat, & cuiq; vncię vni ex eo misceatur euphorbij recẽtis drachma vna, & castorei drachma vna. Sed si hoc iterũ nõ suffecerit, vẽter ex pilulis cochijs soluatur: patiẽs quoq; balneũ ingrediat, in quo etiã sudet: vinũ quoq; vetus & forte ei tribuat. Si autẽ cum dolore auris fuerint sonitus & tinnitus atq; ventositas, panicũ siue miliũ in sartagine torrefactũ, calidũ multoties superponatur. Auris quoq; super vaporem aquę in qua sint cocta menthastrũ & sticados arabicus, & sansucus teneatur. De castoreo præterea & euphorbio in oleo sambucino dissolutis, quorũ vnũquodq; q̃tuor grana hordei ponderet, in aurẽ mittatur.

De vlcere quod fit in aure. Cap. XXXII.

CVm pus ab aure egreditur, hydromel tepidũ multoties in vna die in aure est distillandum. Deinde hoc medicamẽ optime faciens ad hoc est immittendum, quod ℞. sarcocollæ, aloes & sanguinis draconis, thuris, squamæ ferri ziniar, ana partes æquales, omnia in aceto dissoluantur & in aurem mittãtur, aut liciniũ melle illinitũ in prædictis intingatur &

ſic immittatur. Patiens itaq; ex hoc medicami-
ne, & hydromelle medicetur donec ſanus ſit.

De ſonitu & tinnitu aurium. Cap. XXXIII.

FOrtaſſe quandoque contingit ex ſubtilita-
te ſenſus auditus, & eius claritate. Cuius ſi
gnum eſt quòd in tempore famis augetur,
& in hora ebrietatis & ſatietatis minuitur. Quę
propria nõ indiget cura niſi ſuperfluitatem ob-
tineat. Tunc enim de opio diſſoluto in oleo im-
mittendum eſt in aurem quantum duo hordei
grana ponderant. Si autem hæc cum grauedi-
ne capitis & auditus debilitate affuerint, oleum
de ſemine raphani, & oleũ de amygdalis ama-
ris, & oleum roſatum in quo caſtoreum fuerit
reſolutum, ſunt immittenda. Auris quoq; ſuper-
ponenda eſt vapori aquę, in qua ſanſucus ſtica-
dos arabic⁹ abſynthium, mẽthaſtrum & origa-
num cocta ſint. Et venter multoties ex pilulis
cochijs eſt ſoluendus, & cibaria minuẽda, & vi-
num dimittendum.

De grauedine auditus. Cap. XXXIIII.

CVm in auditu contingit grauitas, conſi-
derandum eſt an ſit ibi ſordities quę vo
catur cera quæ fit in aure. Quæ ſi inue-
terauerit, mundetur, aut cum medicinis ſecun-
dum quod diximus, aut cum cura manus. Si au
tem ſordes nõ affuerint, & euenerit hoc poſt ſa-
tietatẽ faſtidioſam, quæ eam pręceſſit, aut ægri
tudinem acutam, auris ponenda eſt ſuper vapo
rem aquæ, in qua ea quę prædiximus cocta fue
rint, traiectorio interpoſito vſque quo vapor a-
ſcendat. Quod hoc modo fieri cõuenit. Res iſtæ
in cucuma habente os acutum coquantur. De-

inde traiectorium ori cucumæ superponatur,& ne vapor egredi possit,pānis obuoluatur,& auris super os traiectorij ponatur. Istud præterea sief in aurem mittatur. Quod,℞.coloquintidæ drachmam vnā,baurach tertiam drachmæ vnius,castorei,aristologiæ rotūdæ,succi absynthij, omnium ana drachmę semissem,costi quartam drachmæ vnius, euphorbij sextā drachmæ vnius, fellis vaccini quantum sufficit ad prædicta conficiēda, fiant ex eis sief. Cunque necesse fuerit vnum in oleo de amygdalis amaris resolutum auri immittatur. Hoc enim valde vtile existit dolori phlegmatico & ventositati ac sonitui & tinnitui,qui ex grosso vento fuerit, & surditati quæ est ex grossis humoribus. Si autē debilitas auditus cōtingit post ieiunium aut vigilias,fuerítque facies extenuata, & oculi concaui,æger balneum sæpe ingrediatur,& largiori cibo ac potu vtatur,& in somno fiat profundior, super caput quoque aquam tepidam cum oleo fundat donec sanetur. Quod si post phrenesim contingat,ex medicinis primis curetur.

De vermibus aurium & paruis animalibus ipsas ingredientibus. Caput XXXV.

CVm in aure fuerit titillatio, & pruritus & dolor,deinde ceciderint vermes ab aure,immittatur auri succus mēthastri,aut de folijs persicorum,aut oleum de nucleis ipsorum, aut aloe in aqua dissoluatur & immittatur. Hæc enim vermes auris & parua animalia ingredientia ipsam,aut quæ in vlceribus nascūtur,interficiunt.

De eo quod in aure figitur ab exterioribus ingressum. Cap. XXXVI.

CVm aliquid figitur in aure, oleum tepidum est immittendum,& patiens balneum ingrediatur, ibi morã faciens donec corpus eius mollificetur. Deinde naribus insuffletur cõdisi,& teneatur anhelitus donec sternutatio sequatur, forsitan enim sic egredietur. Si autem fuerit difficile & non exierit, erit necesse vt cũ ferro auri immisso extrahatur. Quod etiã in naribus est faciendum, si quid eas ingressum fuerit,quod extrahi nõ possit. Quòd si aqua aurem intrauerit, capite ad partem auris illius inclinato saliat æger,& si non exierit,prouocetur sternutatio vt diximus. Deinde oleum tepidum multoties immittatur. Neqȝ hoc pro paruo est habendũ,& præcipue si res malam habens qualitatem ingressa fuerit,ex ea nanqȝ grauis sequetur dolor.

De sanguine ex narib9 fluẽte. Cap. XXXVII.

EX his quæ sanguinis de naribus fluxũ retinent, est succus albedarogi cum camphora fuerit in eo dissoluta, naribus immissus, confert enim ei qui hanc passionem incurrere solitus est,ante eam iniectus,aut in hora ęgritudinis. Aut sumãtur gypsum,cinis chartæ de panno,gallæ,sanguis draconis,calx,zegi, & puluerizata naribus insufflentur. Aut liciniũ in eis intinctum mittatur in nares, aut alumen iameni puluerizatum,vt alcohol cũ amylo eiusdem quãtitatis naribus insuffletur. Quòd si adhuc vehementer manauerit, superiores brachiorum partes apud assellas cum institа, & coxæ

apud inguina ligẽtur, & testiculi similiter sunt ligandi. Si verò passio inualuerit, phlebotometur cephalica eiusdẽ partis de qua fluit sanguis. Si autem nec hoc modo strictus fuerit, magnæ ventosæ cum igne superponantur ventri ab ea parte de qua fluit sanguis. Medicamen quod vehementer valet ad sanguinem constringẽdum. Sumatur calx alba & leuis, qua vtuntur aurifices & sæpe narib⁹ insuffletur sine interpolatione, & licinium albumine oui illinitum ea inoluatur & naribus immittatur.

De escharis & vlceribus narium.

Caput XXXVIII.

CVm in naribus fuerint escharæ, cera & oleum ac adeps gallinaceus eis immittãtur, & aquam calidam naribus in mane multoties per aliquot dies odoret. Cúmq; pustulæ egredi cœperint, licinium aceto forti ĩfusum in quo sal positum sit, naribus immittatur, ac super eas similiter sal & acetum ponantur. Siccabuntur enim ex hoc & non prolongabitur earum mora. Quòd si vlcera ibi affuerint, vnguento de cerusa curentur.

De polypo vel hæmorrhoidibus quæ nascuntur in naribus. Cap. XXXIX.

CVm intus in narib⁹ caro superflua mollis & quasi dissoluta rubea, aut alba exorta fuerit, & nares ingrossari cœperint, ac ex carne prędicta repleri, cephalica prius erit phlebotomanda, deinde licinium ex vnguento viridi quod in capitulo de corrodentibus carnẽ nominauimus, liniendum & naribus erit immittendum. Si vero istud non suffecerit, medicamẽ

acutum quod ibi deſcripſimus apponatur do-
nec ex toto mundificetur. Hæc præterea paſſio quandoque cum ferro curatur radicitus omnino incidendo. Medici tamen quandoque in hoc errant. vnde ex eorum cura ęger maximum incurrit nocumentum, in hoc nanque loco cancer plerunque exoritur. Verum cancer quando in hoc naſcitur loco, nec acutas tolerat medicinas, neque inciſionem quæ fit cum ferro, imò indiget vt ſuauiter tractetur, & medicaminibus lenientibus, & phlebotomia, & ventris ſolutione curetur. Cognoſcitur autem an illud accidens ſit cancer, quia eſt durus pertingens quandoque vſque ad palatum. Sed cum nares ſiccæ ſint & duræ, nec ſit in eis humiditas aliqua, ſummopere cauendum eſt, ne hæc ægritudo aut ei ſimilis ferro, aut acuto medicamine tãgatur. Si autem quod in naribus exoritur caro mollis eſt, fluxerintque ex eis humores, & cum nares ſtringuntur, inueniuntur molles, & cum tãguntur tactus non ſentitur ſolidus, non eſt timendum quin ex medicaminibus acutis & ferro mederi poſſint.

De amiſſione odoratus. Cap. XL.

CVm ſenſus quo odorãda ꝑcipiũtur, amiſſus fuerit, neqꝫ in naribꝰ caro ſuꝑflua creuerit, & aër ita leuiter vt priꝰ attrahit, & oculi ac ſẽſus naturaliter exiſtunt, naribꝰ erit inſufflãdꝰ puluis adeo ſubtilis vt alcohol, q̃ fiat ex cõdiſi & artemiſia & ſale armoniaco. Ægro quoqꝫ p̃cipiatur vt nares vapori ex aceto calido ꝓcedẽti multoties apponat. Si aũt hęc nõ ſuffecerint, qđ nominabimꝰ naribꝰ inſufflet, cuiꝰ deſcriptio hęc eſt ℞. nigellę, fellis gruis, coloq̃ntidę,

hellebori albi, omniũ ana partes ęquales, pulueri zent & ponãtur in vrinæ cameli Arabici quãtitate tanta quæ ea cooperire possit, & ponãtur ad solẽ donec siccentur, deinde fiant ex eis sief. Cúmq; necesse fuerit, vnum ex eis lentis habẽs magnitudinem in oleo sansucino intinctum, naribus immittatur, optimũ enim ad hoc existit. Si autem ex hoc quod naribus immittitur fortis sequatur dolor, oleum de semine cucurbitæ eis immittatur, & aqua calida super caput fundatur, & sorbeat calida ea quæ humectant vt ptisana, & quod fit de aqua furfuris, & de farina & similia. Et hoc quidem est medicamen ad amissionem odoratus probatissimum, quod sic conficitur: Nigella puluerizetur donec fiat vt puluis, & misceatur cũ oleo veteri, deinde æger implens os suum aqua reclinet caput retro quãto plus poterit, & tunc ex prędicto medicamine aliquantæ guttæ naribus distillentur. Aegro quoque præcipiatur, vt quãtum ei possibile est aërem extrinsecum interius attrahere nitatur, quod in tribus diebus & tribus vicibus fieri cõuenit. Si autem mordicatio superuenerit, fiat hoc quod prædiximus.

De dolore dentiũ & gingiuarũ. Cap. XLI.

SI gingiua cum dolore dentium fuerit sanguinolenta, & apostemosa, & rubea, fueritq; apostematio cum pulsatione, extrahatur sanguis cum vẽtosis, phlebotomia ex cephalica prius facta. Deinde in ore aliquandiu acetum & oleum rosatum teneat, quod postquã eiecerit, idem iterum faciat, post hoc oleum rosatum in ore teneat. Et si ex hoc non euaserit,

fueritque pulsatio vehemēs & cum inflammatione, camphora & piretrum terantur, & in radicibus dentium ponantur, cúmq; dissoluta fuerint, iterum mittantur: cotum quoq; oleo rosato illinitũ desuper ponatur. Quòd si dolor aliquando augmentetur & vehementior fiat, opij sexta pars drachmæ vnius, in oleo rosato dissoluatur, ex quo cotũ illinitũ radici dolentis dētis adhibeatur. Si autē nondũ sedetur, locus scalpellandus est, & sanguisugæ superponēdæ sũt. Gingiua vero si nō fuerit sanguinolenta, nec apostemosa, nec dolor est cũ pulsatione, neq; in facie fuerit inflãmatio, aut dolor acciderit post fastidium & satietatē, & post cœnam, comederítq; ex cibo frigido multũ, venter ægri ex pilulis cochijs soluendus erit, & dolentium dentium radices ex hoc medicamine fricãdæ sunt, quod sic fit, Sumantur piretrum, sinapi, seitaragi indi, baurach, piper, zinziber, & ex eis pulverizatis dentium fricentur radices. Cotũ quoque eis illinitũ super dentiũ radices ponatur, postq̃ æger os ex aceto in quo piretrum & mentastrũ atque origanum cocta fuerint, colluerit. A foris præterea panicum siue miliũ in sartagine torrefactum super maxillam est ponēdum, aut ex piperis puluere melli commixto dens & ei9 radix fricetur. Et si hoc non suffecerit, in dentium radicib9 hęc thyriaca ponatur, quæ ℞. castorei, assę fœtidę, piperis, zinziberis, storacis, opij, omniũ ana partes æquales, conficiãtur cũ melle & administrētur. Aeger præterea per aliquantulũ temporis à comestione abstineat, maneátq; famelicus & ingrediatur balneũ, & vtatur motu.

Si autem nec ſic quieſcat, ferrum ignitum radici dentis multoties apponatur, aut eradicetur. Si vero dens corroſus fuerit, repleatur ex medicaminibus quæ nominabimus, & quæ ſunt corroſiua, aut extrahatur.

De medicinis extrahentibus & confringẽtibus dentes. Cap. XLII.

MEdicamen quod cum in dente corroſo ponitur, ipſius ſedat dolorẽ, ac ipſum confringit. Sumãtur Kebikengi, & piper, & trita ex alkitrano cõſpergãtur, & impleatur ex eo. Medicamen quod dentes debiles ac dolẽtes qui ſunt extrahẽdi, eradicat. ℞. Cortices radicũ mori, & radicũ capparis, & piretrum, & lac titimalli, atq; lac anabulę, & arſenicũ rubeũ, & radix coloquintidæ ſumãtur, & trita ex tãto aceto quod eis ſufficiat conſpergãtur. Acetum quoq; per hebdomadã vnã ſemel in die vt pri⁹ addatur. Poſt hoc dentes in circuitu ſcalpellentur, & ex prædictis decies in die epithimentur, donec ad mouendum ſint faciles, & ſic extrahantur. Aut fiat epithima ex fęce aceti acutiſſimi per multos dies, & poſtea extrahantur. Aut ranæ fluuiales in oleo coquãtur donec diſſoluã tur, cúmq; neceſſe fuerit, dentiũ radices ſcalpellentur, & ex oleo iſto multoties inungantur, donec facile moueri poſſint, poſtea cum inſtrumẽto extrahendi dentes euellantur.

De dentium congelatione & ſtupore. Cap. XLIII.

POrtulaca & amygdalæ amaræ maſticentur, aut his ſimilia. Aut fiat fricatio cum ſale, & maſticetur cera.

De dentibus qui dolent cum à re frigida tanguntur. Cap. XLIIII.

OLeum calefactum in panno desuper est ponendum, aut vitellus oui assatus calidus multoties masticetur, aut calidum panem multoties mordeat, aut fiat fricatio ex balsamo, aut ex oleo de lilio syluestri.

De alcola, seu pustulis linguæ, & vlcerationibus oris. Cap. XLV.

SI pustulę fuerint rubeæ, sumantur antherę, amyli, spodij, lentium excorticatarum, seminis portulacæ, coriandri sicci, seminis senæ de Mecha, omnium ana partes æquales, camphoræ parum, ex his puluerizatis fiat fricatio, & cum aceto mixta, & oleo rosato, & aqua rosata in ore teneantur, & sanguinis minutio cum ventosis fiat. Albæ vero si fuerint pustulæ, cum sale & melle fricentur, & syrupꝰ acetosus aut almuri in ore teneatur.

De gingiuis sanguinolentis. Cap. XLVI.

CVm ex gingiuis sanguis subtilis assiduè manauerit, vtriusque arsenici, scilicet rubei & citrini, calcis, gallarum, aluminis, omnium partes sumantur æquales, ex quibus puluerizatis, & cum aceto mixtis, parui formētur trocisci. Cúmque necesse fuerit ex eis puluerizatis, sumatur quantum est sexta pars drachmæ vnius, & fricētur gingiuę ex eo optimè, & permaneat sic parum. Deinde teneat oleum rosatum in ore. Est enim hoc mirabile ad hanc ægritudinem curandam & putredinem, & herpetem estiomenum, qui est in ore.

De casu vel elõgatione vuulæ. Cap. XLVII.

CVm æger senserit aliquid radici linguæ suæ insistere, aut gutturi, & cum iubetur aperire os & extrahere linguam, videtur vuula eius iam esse fluxa & elongata, ramech & sal armoniacum sumãtur, & bene puluerizata, cum instrumento insufflandi, super vuulam insufflentur, & ex eis in summitate prædicti instrumenti aliquid ponatur, & radici vuulæ cũ eo dirigatur, & ipsa cum instrumento parum exterius extrahatur. Aut granatum acetosum cum pulpa sua teratur, & fiat ex eo gargarismus. Quòd si diu permanserit taliter, & elongata fuerit, eiúsque pars superior subtiliata, & caput eius rotundum fuerit, tunc radicitus erit incidenda. Cauendum tamen est, ne antequam ita vt diximus sit disposita, incidatur, ex hoc enim sequitur quandoque sanguinis flnxus, qui constringi non potest.

De sanguisugis quæ ingrediuntur guttur. Cap. XLVIII.

CVm aliquis in gutture suo titillationem senserit, & sanguis subtilis inde manauerit, existimandum est tunc sanguisugam in ore esse: & præcipuè si aquã loci in quo sanguisugę fuerint, biberit. Os igitur ægri est aperiendum, & lingua extrahenda, & inferius premenda, & guttur in sole est inspiciendum, & si sanguisuga in loco propinquo pendere visa fuerit, cum forficibus quibus sagittæ educuntur, extrahenda erit, quod hoc modo fiet. Caput à quo pendet est stringendum, & sic extrahatur. Qòod si non fuerit manifesta, æger multoties

gargarizet ſinapim cum aceto, quia de loco in quo eſt mouebitur. Aut fiat gargariſmus ex aceto & aſſa fœtida, aut ex aceto & ſale. Nigella præterea & ſinapis trita inſufflentur gutturi: fiat etiam gargariſmus ex ſucco cepæ. *Si autem* poſt eius caſum remanſerit ægro ſanguinis reſudatio, fiat gargariſmus ex apozimate in quo cortices granati, & balauſtiæ, & ſumach cocta fuerint, & gutturi inſuffletur puluis de balauſtijs, & thure, & ſanguine draconis & amylo. *Si* autem ſanguiſuga ſtomacho annexa fuerit, medicamina quibus vermes expelluntur, ſumantur in potu. Ex his etiã quæ ſanguiſugam exire faciunt, eſt vt æger balneum ingrediatur, & moretur in eo, donec magnam patiatur ſitim, & tunc aquam in niue infrigidatam frigidiſſimam ſcilicet in ore aliquandiu teneat, cúmque cœperit tepefieri, eam expellat, & aliam ſumat. ſanguiſuga enim quandoque venit ad os, frigiditatem quærendo.

De ingrediẽtib⁹ os ſiue guttur. Cap. XLIX.

CVm illud quod guttur ingredit̃, & infigitur in eo, aut in meri, aut fuerit bol⁹ magnus, aut ei ſimile de his quæ non habẽt fruſta ſciſſa contenta in eis, aut acuta, confert plerunq; percutere ægrum in collo poſterius, & multoties, & aquã ſæpe traijcere, fortaſſis enim deſcendet inferius. Aeger quoque balneum ingrediatur, & oleum multoties traijciat, quod poſtquam factum fuerit, magnos deglutiat bolos. Quòd ſi non deſcenderit, inſtrumentum, quo huic ſimile inferius duci conſueuit, in os mittatur. Eſt autem inſtrumẽtum illud de plũ-

bo, quod cum ſit reti ſimile, eſt longum, gibboſitatem in ſe habens.

De grauedine linguæ. Cap. L.

CVm lingua abſque alijs membris grauedinem paſſa fuerit, & æger neque febrē, neque acutam incurrerit ægritudinem, ſal armoniacum, & piper, & zinziber, & ſinapis alba, ac piretrum, & ſtaphiſagria, & baurach, atque origanum, & ſal indum, & nigella, & ſanſucus ſiccus ſumantur & in aqua coquātur, & fiat ex eis gargariſmus. Caueat tamē patiens ne ex eo aliquid traijciat. Aut æger ieiunus multis diebus gargarizet almuri nabati, aut fiat gargariſmus ex aceto & piretro. Poſtquam verò gargarizare ceſſauerit, ſumantur ſalis armoniaci, piretri, piperis, ſinapis, omnium partes æquales, & ex eis bene puluerizatis lingua diutius fricetur. Quòd ſi cum linguæ grauedine auditus, ac reliquorum ſenſuum grauitas fortis affuerit, fiat ægri curatio ſecundum doctrinam qua paralyſis curatur. Si autem loquela in acutis febribus aggrauata fuerit, & videris ipſam cum grauitate in loquela extenuatam, & abbreuiatam, & ſpaſmatam, aqua calida ab alto ſuper ſphondyles colli, & auris principia fundatur, & cum oleo fricentur. Aeger quoque oleum tepidum in ore tenere debet. Et ſi diu eſt ex quo loquela minui non ceſſauerit, vel etiam ſemper, conſiderandum eſt, an ligamentum quo inferius lingua connectitur, maius ſit quàm debeat. Quòd ſi ita fuerit, ex eo parum eſt incidendum, & zegi puluerizatum immittendum.

De lingua quæ adeò tumeſcit vt os egrediatur. Cap. LI.

CVm contingit linguã adeò inflari, vt pręmagnitudine os egrediatur, fricanda eſt ex cepis, aut ex citri acetoſitate, aut cũ ribes, aut ex granato acetoſo, donec ſaliua multa ab ea profluat. Hoc nanque modo detumeſcet, & ad primam redibit menſuram. Si autẽ non ſufficit, fiat fricatio, ex ſale & aceto. Et ſi nondum ſufficit, fiat minutio ex vtriſque cephalicis prius, & poſtea ex venis quæ ſunt ſub lingua.

De glandula quæ ſub lingua naſcitur, & vocatur ranula. Cap. LII.

CVm ſub lingua glandula nociua fuerit, in principio ex ſale armoniaco & gallis fricanda eſt. Si autem vetuſta fiat, ex medicamine gingiuæ ſanguinolentæ fricanda eſt, quod eſt medicamen acutum. Aeger autem acetum, & ſal in ore teneat.

De puſtulis & apoſtematibus accidentibus linguæ Cap. LIII.

ISta ex eiſdem ſunt curanda, ex quibus alcola, quas ſuprà nominauimus, & ſquinantia ſanantur.

De ſquinantia. Cap. LIIII.

CVm in glutiendo ſentitur anguſtia, adeſt paſſio quæ ſquinantia vocatur. Cuius grauitas vel leuitas ſecundum anguſtiæ quantitatem deprehendi poteſt. Cúmq; cum traijciendi anguſtia fuerit in facie, & oculis rubedo & repletio, in principio curationis

cephalica phlebotometur, & gargarism⁹ ex succo granati muzi cum carnositate sua fiat, aut ex rob mali maciani, aut ex rob mori de Seni. Et post hoc fiat gargarismus cum aqua rosata in qua sumach fuerit infusum. Quod postquã per tres dies sic factum fuerit, & venter ex succo fructuum sicut prunorum, tamarindi, cassiæ fistulæ, & tereniabin solutus fuerit, fiat gargarismus ex apozimate ficuũ citrinarum, & passularum, aut ex medulla cassię fistulæ, cum hydromelle. Quòd si passio inueterauerit, ex gargarismis & insufflatione fortium medicaminum, quæ dicturi sumus, curanda erit. Si autem in facie non fuerit rubedo, fluxerítque ab ore saliuæ multitudo, & æger fuerit humectatus, in principio soluatur venter ex pilulis cochijs, & fiat enema ex clysterio acuto, quod in capitulo de apoplexia nominauimus. Cum tamen passio incœperit, fiat gargarismus ex syrupo acetoso, aut cum hydromelle & pipere & oximelle, & deinde ex almuri nabathi. Fiat etiam gargarismus ex hydromelle & sinapi. De his præterea quæ malæ squinantiæ conferunt, est vt ex venis quæ sunt sub lingua fiat minutio, & ventosæ absque scarificatione in collo ponantur, & epithimetur collum ex melle anacardino donec vesicæ in eo generentur, & fiat gargarismus cum sinapi, & gutturi fiat insufflatio ex hoc medicamine, quod sic fit. Sinapis, sal armoniacus, piretrum, nitrum, assa, piper, mentastrum sumantur, & ex eis cum hydromelle fiat gargarismus.

De tuſſi. Cap. LV.

CVm tuſſis acciderit, fueritque aſpera & ſicca, & cum rubedine & calore, ægro muraba violatum & ptiſana tribuenda erunt. Fabas quoque excorticatas & ſpinachias cum oleo de amygdalis dulcibus in comeſtione accipiat. In ore verò ſemper tenere debet pilulas bichichias. Aquæ autem quam bibit ſyrupus violatus eſt admiſcendus. Confectio pilularũ bichichiarũ, ℞. ſucci liquiriciȩ, zuccari albi, amborum ana drachmas decem, amyli, dragaganti, amygdalarum dulcium excorticatarum, omnium ana drachmas quinque. Ex eis cum muſcilagine ſeminis citoniorum conſperſis informentur pilulæ. Quòd ſi cum tuſſi multum affuerit ſputum, quod cum expuendo expelli non poteſt, nocumentum infert: ſed neque febris, neque vehemens ventris ſolutio ipſam cõcomitantur, ex his trociſcis dandum erit infirmo, qui ℞. ſeminis feniculi, ſeminis apij, ſucci liquiriciȩ, capilli veneris, amygdalarum, omnium partes æquales. Ex his cum muſcilagine ſeminis lini conſperſis informentur trociſci, ex quibus drachmæ tres tribuantur. Decoctionem autem, qua in hac ægritudine vtendum eſt, in capitulo de catarrho iam deſcripſimus, cui tamen drachmæ quinque capilli veneris ſunt addendæ. Quòd ſi tuſſis antiqua & nociua fuerit, adeò vt ægrum in nocte dormire non permittat, pilulæ ſtoracinæ ſunt dandæ, quæ ℞. myrrhæ, ſtoracis, opij, omnium ana partes æquales, informentur ex eis pilulæ ad lupinorum ſimilitudinem, ex quibus vna aut duæ patienti tri-

buantur. In potu verò sumat syrupum de papauere, & comedat semen albi papaueris cum zuccaro. Qui hanc præterea patitur ægritudinem, vitet in comestione acetosa, salsa, pontica, acria, atque amara. Suffumigium ad antiquam tussim & sputum fœtidum, quod ℞. aristologiæ, myrrhæ, storacis, galbani, omnium partes æquales, arsenici rubei ad pondus omnium: omnia puluerizata ex butyro vaccino conspergantur. Ex quibus magdaleones ad pilæ paruæ similitudinem informentur, & cum necesse fuerit, in ieiunio ex vno eorum per traiectorium suffumigetur æger.

De asthmate. Cap. LVI.

CVm aliquis assiduè patitur tussim, & aërem attrahit quemadmodum fit post cursum, aut post vehementem motum, & cum iacet supinus est ei deterius: sed cũ sedet, est ei melius: Decoctio ei danda est, quæ ℞. ficuum citrinarum drachmas decem, dactilorum multam humiditatem habentium, seminis apij, seminis feniculi, capilli veneris, liquiriciæ, hysopi, prassij, omnium ana drachmas quinque: coquantur in tribus libris aquæ dulcis donec redeant ad vnam, & colentur. De hac verò decoctione tribus diebus ægro in potu tribuatur, cum pondere duorum aureorum huius confectionis, quæ ℞, succi liquiriciæ, hysopi, capilli veneris, omnium ana drachmas decem, cordumeni, piperis, amygdalarum amararum, aristologiæ rotundæ, seminis vrticæ, omnium ana drachmas quinq;, mellis despumati qđ sufficit.

Hæc enim confectio superfluitates quæ sunt in pectore mirabiliter expellit, & est optima. Danda est itaq; per hebdomadam vnam continuo. Deinde æger postq̃ comederit sinapim & mel, vomere cogẽdus est, & venter ex his pilulis soluendus, quæ recipiunt, agarici, grana hordei octodecim, coloquintidæ interioris, grana hordei sex, elaterij grana quatuor, succi liquiriciæ drachmam semis, fiant ex eis pilulæ: & sufficiũt ad dosim vnam. Post hoc quoq; iterum redeat ad bibendam cõfectionem & decoctionem sumẽdam, & postremo ad vomitũ & ventris solutionem, vt prius. Hoc faciendũ est donec æger sanitati restituatur. Interim tamen à cibis grossis & stipticis & acetosis abstineat.

De Pleuresi. Cap. LVII.

CVm aliquis sub costis suis dolorem sentit pungitiuum, & proprie quando siccã patitur tussim & febrem, expedit, vt si dolor super partem costarum & furculam tendit, fiat minutio ex basilica ei9 partis in qua est dolor, nisi totum corpus multo sanguine repletum fuerit, tunc enim ex latere cõtrario sanguinis detractio facienda est. Aegritudo quoque si iam per aliquot dies à sui principio infestauerit ægrũ, phlebotomia similiter à parte dolente facienda est. Quòd si dolor inferius ad partem costarum posteriorem tendit, venter ex decoctione quam in capitulo de rheumatismo descripsimus, est soluendus. Melius tamen est vt phlebotomia fiat, deinde aqua hordei cum zuccaro assidue tribuatur. Et si videris tussim eius vehementis siccitatis, da ei in diluculo omni die

vide cõ Gal. dico cõ in comm xij p. parte prope fine

ſuleb, deinde da ei in potu aquam hordei. Et ſi æger fuerit debilis, nutriatur cum pane & ex zuccaro. Si autem fortis fuerit, aqua hordei vſq; ad diem quartum ſufficiat. Cúmque ſcreare cœperit, decoctionem quam in capitulo de rheumatiſmo nominauimus, quotidie ſumat, antequam aquam hordei bibat, donec ſanetur. Si autem febris & acuitas perſeuerent, & æger in excreatione difficultatem patiatur, detur decoctio quam in capitulo de aſthmate nominauimus, quod ſimiliter eſt faciendum cum saniei fit excreatio. Quòd ſi in principio paſſionis quod excreatur nigerrimum, aut valde citrinũ apparet, & ſic permanſerit, & febris non quieuerit, neque calor vſque ad diem ſeptimum, timoroſum eſt. Et ſi cum hoc toto aëris attractio non alleuietur, & in pectore fuerit oregmon, aut in maxillis rubedo, & in oculis labor, morti eſt propinquus. Si autem exterius in latere apparuerit rubedo, aut apoſtematio, & cum premitur locus, dolet, ponatur deſuper ventoſa, aut emplaſtrum ex ſinapi, & ficubus, & dimittatur ibi donec locus vlceretur. De his verò quæ ex errore ſtolidorum ad augmentum nocumenti accidunt hanc ægritudinem patientibus, eſt cum dolor in principio ſentitur ſub coſtis, exiſtimant groſſam fore ventoſitatẽ, ideóque electuarium diamuſcum, aut ei ſimilia ægro tribuunt, eúmque omnino interficiũt. Hæc paſſio vocatur birſen, cuius cauſa eſt apoſtema quod oritur interius ſub coſtis hypochondriorum.

De peripneumonia. Cap. LVIII.

CVm homini superuenerit febris,&in anhelitu tantam patitur constrictionem, vt se præfocari putet, & in maxillis ita vehemens sit rubedo,vt tinctæ videantur,&anterior pectoris pars dolet, & tussis adest,& quod cum excreatione emittitur existit spumosum, & in pectore sentitur grauitas sine punctione & sine calore.Cui omnia hæc accidunt acutum in pulmone patitur apostema,& vocatur hæc passio peripneumonia. In principio igitur curationis eius basilica minuēda est, deinde æger ex eis, quibus medicatur pleuresis,curandus est.

De sputo sanguinis & saniei.
Caput LIX.

CVm sanguis cū rascatione aut paruo sonitu qui fit sine tussi, egreditur, non est ægro inde timendum,poterit enim sanari gargarizando ea quę in capitulo de Squinantia nominauimus,& regimen subtiliando.Cum vomitu quoque si exierit sanguis non magnum affert timorem:curatur nanque hoc phlebotomando ægrum,& si comederit stiptica sicut sumach & succum vuæ acerbæ.In potu præterea sumat ex boli armeni, gūmi arabici,balaustiæ, sanguinis draconis, thuris, omnium ana partibus æqualibus, & dentur ex eo drachmæ tres, cum rob simplici de citonijs. Quibusdam autem solet accidere sanguinis exitus cum interpolatione,ex quo nullum sentiunt nocumentū, imo remedium,ideóq; sic est dimittēdus.Quòd si cum tussi superueniat sanguinis egressio,

est timorosum. Est tamen incipiendum in curatione ægricum phlebotomia ex basilica, deinde ex trociscis istis in potu est tribuendum, qui ℞. thuris, sanguinis draconis, amborum ana drachmas tres & tertiam, charabæ drachmas quinque, æmathitis, terræ sigillatæ, amborum ana drachmas decem, aluminis drachmas duas semis, balaustię drachmas tres, opij drachmas duas, raued Seni drachmas duas, ex his omnibus fiant trocisci decem, de quibus quotidie vnus in potu sumatur cum succo ozimi maioris aut portulacæ. Et si ægritudo vehemens fuerit, alius circa noctem dandus est. Adiutoriorũ quoque ac coxarum partes superiores sunt ligandæ, & extremitates fricandæ. Pectus etiam præcipuè si in eo fuerit locus dolens, ex trociscis prædictis cum aceto & aqua epithimetur. Eius præterea cibaria succum vuæ acerbæ, & sumach & eius similia admixta habeant, & patiẽs supinus iacẽs, de terra sigillata aliquid post aliquid paulatim comedat.

De Phthisi. Cap. LX.

CVm aliquis carnium diminutionem pati videtur post tussim ex chronica passione, & sputo sanguinis, aut saniei procedente, lac asininum in potu tribuatur: quod si inueniri non poterit, caprinum cum pauco zuccaro dandum est, cum quo etiam panem sæpe comedat, ipsúmque quanto plus potest, loco aquæ in potu sumat. Vinũ tamen subtile & temperatũ aliquando est tribuendum. Nutrimentũ autem ægri sit ex carnibus auium & hœdina.

lac asininu caprinu

Aeger præterea ante comestionem & post, balneum ingrediatur, quod non sit calidum sed tepidum, & in semicupio moram faciat. Summopere verò cauẽdum est, ne venter soluatur. Cui tamen, si solutus fuerit, ex huius pulueris bibitione succurrendum est: qui ℞. gummi arabici, spodij, boli armeni, seminis myrtini, omnium ana drachmam vnã, fiat ex eis puluis, de quo in die drachmæ tres cum syrupo de papauere albo aut rob myrtino dẽtur. Huius quoq; pulueris bibitio omnibus ventris constrictione indigentibus, qui tussim patiuntur, remediũ affert. Cui plerunq; adduntur xilocaractę de Syria, & bdellium de Mecha. Quòd si lac ægro febrem generauerit, auferendũ est ei lac, & ptisana quousq; febris recedat, danda, deinde lac ei denuo tribuatur. Et si febris iterũ redierit, remoto lacte, ptisana est danda, post cuius recessionẽ, vt prius ad lac est redeundum. Hoc autẽ semper est faciendum cum necessitas vrget: & venter summopere custodiendus ne soluatur.

De tremore cordis. Cap. LXI.

SI cum cordis tremore fuerit pulsus velocitas & febris, æger ex basilica est minuendus, & trocisci camphorati cũ succo malorum acetosorum in potu sunt tribuẽdi, qui ℞. spodij, seminis cucumeris, citrulli, endiuiæ, lactucæ, portulacæ, rosarum, sandali albi, omniũ partes æquales, & pro vnoquoq; pondere aurei vnius ex eis, sumatur cãphorę triũ granorũ hordei põdus, ex quibus cũ succo macianorũ confectis, fiant trocisci, de quibus in potu quotidie vni⁹ aurei põdus, quaq; die tribuatur: quod per

duas hebdomadas fieri conuenit. Si autem hæc non ſuffecerint, lac de quo butyrũ ſit extractũ, ad bibendum detur. Ipſe verò nutriatur ex pullis cum aceto & ſucco vuæ acerbę, & ex acetoſo. Syrupum præterea acetoſum de zuccaro factum bibat. Si autem cum cordis tremore non fuerit febris, trociſci muſcati in potu ſumãtur, qui ℞. maſticis, ſpicæ, xiloaloës, cinamomi, garyophylorum, galliæ muſcatæ, nucis muſcatæ, cubebæ, cardamomi maioris & minoris, corticis citri, omnium ana pondus vnius aurei, muſci ſextam drachmæ vnius: ex his omnibus cũ vino redolente conſperſis, fiant trociſci. Hi autẽ trociſci conferũt ſyncopi, & tremori cordis. Electuariũ diamuſcum pretioſum quod eſt ad ſyncopim & triſtitiam cordíſq; tremorẽ & tædiũ faciẽs, ℞. maſticis, cinamomi, ſeminis ozimi maioris, ſeminis ozimi garyophylati, ſeminis meliſſæ, ſeminis ſiſimbrij, ſeminis ſanſuci, macropiperis, omnium partes æquales, ex quibus omnibus pulueriżatis drachmæ decem ſumantur, margaritarum minutarum, coralli rubei, cubebæ, ſetæ crudæ, charabe, been albi & rubei, folij, omniũ ana drachmæ decem, muſci puri drachma ſemis, conficiantur cum melle de mirobalanis chebulis. Hoc enim electuarium ad frigiditatem ſtomachi, & digeſtiuæ ægritudinem optimum exiſtit.

De colirica ſeu cœliaca paſſione.
Caput LXII.

CVm paruus dolor, pũctio, & triſtitia alicui ſuperuenerit, affuerintq; cum ea vel poſt ipſam vomitus & ventris ſolutio,

aqua calida multoties cõtinuè in potu tribuat. Et si adhuc perseuerauerint vomitus & ventris fluxus, aqua calida iterũ detur. sedabitur enim passio. Cum autẽ ægritudo quieuerit, æger balneum ingrediatur, in quo per vnius horę spatiũ moretur. Egressus autem de balneo, leui alatur nutrimento, deinde dormiat. Sed licet vomitus & ventris fluxus vehemẽtes fuerint, & symptomata terrefacientia superuenerint, non tamen est timendum, imò cũ medicaminibus quæ ego nominabo succurrendũ. In principio itaque trocisci de olibano cum aqua & niue & rob granatorum dentur semel, qui iterum etiã sunt dãdi si vomitus non cessauerit. Duo quoq; adiutoria & coxæ in supremis partibus ligẽtur, & aq̃ in niue infrigidata super crura & pedes fundat, & in ipsam etiã mittantur. Vẽter quoq; ex sandalis, rosis, cãphora, gallia, aqua rosata conspersis epithimetur, & pannus aqua rosata in niue infrigidata infusus desuper ponatur, qui postq̃ tepefactus fuerit, est remouẽdus, & alius vt prius desuper mittendus. Ad potandum autẽ paulatim tribuatur vinum vetus, temperatum cum rob granatorum: & quando vomuerit, iterum tribuatur. Panem quoq; in succo granatorũ infusum, cogendus est sumere cum vino, & comedere. Quem si vomuerit, iterum dandus est, donec quiescat. Quòd si syncopis supuenerit, muscum cum vino dari cõueniens est: inde vim inferendo, & succus carnis hœdinæ & pullinæ cũ pauco citoniorum succo in vino mixtus, in potu est tribuendus. Pulli pręterea sunt assandi, & ante nares ipsius discerpẽdi, thus etiã dandũ est,

vt ipſum maſticet & paulatim traijciat. Et poſtremo bolũ Choraſcænũ cum camphora cõditũ tribuatur. Quicquid autẽ de huius paſſionis cura nũc vſq; diximus, donec vomitus ſedet, & ſtomachus cibũ recipiat, fieri cõuenit. Poſtq̃ verò ſtomachus ipſius recipere cibũ poterit, nutriendus eſt æger, & parũ vini veteris bene redolẽtis in potu ſumat, & dormire ĩcipiat. Trociſci de olibano ad vomitũ dicti, ℞. boli Choraſceni, thuris, amborũ ana drachmas decẽ, cubebæ, cardamomi, ãborũ ana drachmas duas ſemis, camphoræ, galliæ, garyophylorum, omniũ ana ſextam drachmæ vnius: fiant trociſci pondere aurei vnius. Hi enim vomitui multum conferunt. Rob de malis granatis, Succus granatorũ acetoſorum ſumatur, & per noctem vnam aut amplius dimittantur, donec quod groſſum eſt in fundo reſideat, deinde coquatur & deſpumetur donec iuleb ſimilitudinẽ habeat, in quo ab igne depoſito adhuc tamen calido, menthæ viridis ſtipites mittantur, & in ipſo manere dimittantur, quouſq; infrigidetur: cũmq; infrigidatũ fuerit, extrahãtur. Ad cuius ſimilitudinẽ ſyrupꝰ de citonijs, & ſyrupus de malis macianis fieri cõuenit. Si aũt vomitꝰ hora aliq̃ nimis inualuerit & ſupfluxerit, magna vẽtoſa ſtomacho ſupponat̃.

De debilitate ſtomachi. Cap. LXIII.

CVm ſtomachi debilitas cum pauca ſiti, & tarda cibi à ſtomacho deſcenſione, & acido ructu fuerit, fuerintque omnia accidentia hæc parua, neq; fuerint vetuſta, ſtomachus cũ trociſcis de roſis erit curandus. De quibus æger quotidie in mane pondus aurei vnius

& dimidij cum vncia vna decoctionis de seminibus sumat. Decoctio autē de seminibus hæc est. Sumatur ciminum Nabathi & ameos, & bulliāt in mina aquæ donec aqua fiat rubea, de qua postea cum trociscis de rosis, vt prędictum est, in potu tribuat. Trocisci verò de rosis sunt, qui, ℞. pulueris rosarū rubearū drachmas tres, xiloaloës, spicæ, masticis, xilocassiæ, squinanti, cinamomi, absynthij, omnium ana dachmam vnam: conspergantur ex vino veteri, & informentur trocisci. Nutriatur verò ex his quæ cito digeruntur, & paucorum sunt humorum, ac paucarum superfluitatum, quæ etiam ex redolentibus & seminibus sint cōdita, sicut sunt calagiæ & mutagenat. Ipse quoque ante comestionem multo vtatur exercitio, & aquā minus solito bibat, & post comestionem multum dormiat. De vino quoq; veteri & puro parum bibat, totámq; nutricationē minuat. Quòd si hæc accidētia vetusta fuerint, electuarium dyacimini, dyaolibani, amborū ana vnius aurei pondus, cum vncia vna veteris vini puri in potu sumatur. Regimē autem eius sit vt prædiximus. Electuarium dyaciminum, ℞. cimini Carmeni drachmas centum, zinziberis drachmas viginti, piperis drachmas decem, foliorum rutæ, baurach panis, amborum ana drachmas decē. Hæc omnia cum melle despumato conficiantur, & detur de hoc electuario, si venter strictus fuerit. Quòd si solutus fuerit venter, electuarium dyaolibanum est dandum. Cuius descriptio in capitulo de ventris solutione continetur. Si autem hæc non suffecerint, squama ferri cum vino tri-

buatur. Scoriæ autem ferri cõfectio hæc est, ℞. seminis apij, seminis fœniculi, anisi, cimini, ameos, aniuden, origani, cheisim, carui, seminis coriandri, melanopiperis, macropiperis, cinamomi, thuris, spicæ, garyophylorum, nucis muscatæ, ciperi, zinziberis, omnium ana põdus aurei vnius, scoriæ aureos decem: omnib⁹ sextuplum vini addatur, & coquantur donec ad medietatem redeant, & coletur. Deinde æger de hoc syrupo, postquam colabitur, pondus drachmarum triginta quotidie bibat, & nutricationem alleuiet: quod per tres hebdomadas faciens, caueat sibi ab acetosis & à fructibus recentibus, & ab aqua frigida: vinum verò mensuratè bibat. Emplastrum stomachum confortans & calefaciẽs, ℞. storacem, spicam, squinantum, absynthium, calamum aromaticũ, masticem. ex his cum vino veteri & succo citoniorum cõspersis emplastrum super stomachum ponatur. Ad hoc præterea confert, vt stomachus fricando inungatur ex oleo quod fit ex spica nardi & cipero: & vt lana carminata in prædicto oleo calefacto inuoluta super stomachum ponatur, & cum panno ligetur. Æger quoq; vinum vetus bibat, aut miuam, aut hydromel. Miua autem hoc modo fiat, Succus citoniorum muzorum sumatur, & per diem & noctem, vt residere possit, dimittatur & coletur. Deinde eius quod clarum est partes duæ sumantur, zuccari pars vna, vini veteris vna, & incipiat coqui suauiter & despumari, donec in iuleb similitudinẽ transeat: postea pro vnaquaq; libra ex toto, sumãtur zinziberis, spicæ, cinamomi, garyophylorum, omnium ana

drachma vna, masticis drachmæ duæ: õnia hæc puluerizata in pãno ligentur, & intus, dum calidum est, mittantur: & cum infrigidari cœperit, pãnus extrahatur & exprimatur, deinde syrupꝰ recondatur. Quòd si digestiuæ debilitas fuerit cũ multa siti, & paucorũ ciborũ appetitu & fœtido ructu, syrupus acetosus de citonijs bibatur. Syrupus acetosus de citonijs, ℞. succi citoniorũ acetosorum partem vnam, zuccari albi partem vnam, aceti clari quartam partem vnius: coquãtur omnia simul, donec inspissentur. Est autem syrupus iste stomachi confortatiuus, & ad suas peragendas actiones iuuatiuus, & vehementiam inflammationis & incensionis, quæ in eo est, sedat. Ægri verò nutricatio sit res in qua simul congregãtur acetositas & stipticitas, vt est caro cum succo vuæ acerbæ cocta, & cũ malis macianis similiter cocta, & cũ ribes, & facta ex alhulem & almoso, & illis similia ex cibis. De isto præterea detur puluere pluries, vt transgluttiat, qui ℞. rosarum rubearum drachmas decẽ, spodij drachmas tres, seminis coriandri drachmas quinqꝫ. dosis eius drachmæ duę cum succo granati muzi, & cum syrupo acetoso de citonijs. Si autẽ cum hoc quod diximus fuerit in corpore extenuatio & inflãmatio, ægro lac & aqua hordei dãda sunt. Ipse quoqꝫ ex herbis humectantibus est nutriendus, vt sunt lactucæ, maluæ, cucurbitæ, citrulli, carnes hœdorum & agnorum lactentium, & pisces recentes. Balneum præterea anteq̃ comedat, & postq̃ comederit, & tinam quotidie ingrediatur. Et vinum clarum valde temperatum bibat, & assidue vtatur

quiete, & motum & exercitium vitet. Sitq; totum eius regimen vt eius qui corporis grossitiẽ adipisci desiderat. Et si cum hac dispositione inflãmatio fuerit & incensio vehementissima, stomachus ex rebus frigidis erit liniendus, & aqua hordei danda: sitq; eius regimen vt ethicam habentis.

De dolore & apostemate stomachi.

Caput LXIIII.

SI cum dolore stomachi adsũt turbatio & nausea, ægro aqua tepida in potu est tribuenda, & vt vomat præcipiendum. Et si hoc non suffecerit, venter ex hiera pigra soluatur, quæ ℞. pulueris rosarum rubearum, spicæ, masticis, xilobalsami, carpobalsami, cinamomi, xilocassię, assari, omnium ana drachmas quinq;, aloës Scotrẽsis duplum omnium: quod bene tritum cum alijs misceatur medicinis tritis, & cũ panno sericino subtilissimo cribellatis, quarum trituratio cum aloë secundo iteretur. Cuius dosis sit à pondere duorum aureorum vsq; ad drachmas duas. Ægro quoq; quotidie detur panis in vino & succo mali granati infusus, & in syrupo acetoso de citonijs. Quòd si cum dolore fuerint ructuũ multitudo & extẽsio atq; singult⁹, ægro electuarium dyaciminũ, & dyacalamentum, & aliæ confectiones quæ vẽtositatem dissoluere consueuerũt, quas in capitulo de colica nominabimus, dandæ erunt. Cibaria verò eius sint calagiæ, & mutagenat cũ seminibus. Vini veteris puri parum bibat, & vtatur motu, & in ingrediatur balneũ. Stomachus quoq; ex oleo de neriden, vt diximus, in pãno inuoluto vaporet.

Si autem cum dolore ſtomachi fuerit febris, & apoſtema manifeſtum, & cum tangitur, ſentitur caliditas, ęger prius ex baſilica phlebotometur, & loco dolenti duo ſuperponantur ſandali, & roſæ, & camphora cum aqua roſata, & ſucco citoniorum. Nutrimentum verò eius non ſit niſi ſola hordei aqua & cuſtodiatur à carne & vino & confectionibus quæ de melle fiunt, & bibat ſuccum granatorum muzorum & rob de fructibus frigidis. Cúmq; caloris vehementia ſedata fuerit, ægro caſſia fiſtula in ſucco endiuiæ diſſoluta & bullita ac deſpumata, ad bibendum detur. Cum autem ægritudinis dies elõgati fuerint, & calor omnino quieuerit, ſi remãſerit apoſtema cum duritie, ex hoc emplaſtro epithimetur locus, quod, ℞. violarum ſiccarum drachmas decem, roſarum rubearũ drachmas quinque, ſpicæ odoriferæ, maſticis, amborũ ana drachmas tres, ciperi, ſquinanti, calami aromatici, omnium ana drachmas duas, farinæ fœnugræci drachmas viginti, florum camomillę, ſeminis maluauiſci albi, farinę hordei, omnium ana drachmas decem: conſpergãtur omnia ex muſcilagine ſeminis lini, deinde locus ex oleo de neriden tepefacto inunctus emplaſtretur ex prædictis per quatuor horas antequam comedat: & poſtquam cibus fuerit digeſtus, & ſtomachus fuerit euacuatus, ex oleo de neriden cum lana, vt diximus, vaporetur. Confectio olei nardini ſimplicis, ℞, olei de been librã vnam, ſpicæ vnciam ſemis, maſticis, coſti, ciperi, ſquinãti, calami aromatici, omnium ana octauã partem vnciæ vnius. omnia hæc puluerizata in prædicto

oleo poſita ad ſolem per hebdomadam vnã vaſis ore clauſo dimittãtur, deinde colentur & exprimãtur fæces, & ſcophæ quæ in manibus remãſerint, emplaſtris admiſceãtur, optimę enim erunt. Cum autem apoſtema in ſtomacho inueterauerit, trociſci de ſpica erũt dandi, qui ℞. florum ſquinãti, xilocaſſię, raued Seni, calami aromatici, ſpicę, omnium ana drachmas tres, croci, myrrhæ, aniſi, coſti, piperis, omnium ana drachmam vnam, bdellij varij drachmas tres, maſticis drachmas duas, armoniaci drachmã vnã, informentur trociſci, quorum vnuſquiſque vnũ põderet aureum, ex quibus vnus quotidie cum vino cocto detur. Emplaſtrum quoq; iſtud fiat quod ℞. bdellij mollis drachmas decem, armoniaci drachmas quinque, ſeminis been, ſeminis apij, amborum ana drachmas decem, ſpicæ, maſticis nigri, amborum ana drachmas quinque, ceræ drachmas tres, olei de neriden drachmas quindecim. Gummæ in vino diſſoluantur, deinde omnia coniungantur, & fiat ex eis emplaſtrum. Ad dolorem tamen ſtomachi & epatis curandum, medicus valde eruditus eſt neceſſarius, qui ipſorum diligenter attendat diſpoſitiones. Nos tamen aggregationes, & ſummas ad hoc conferentes iam diximus, licet in quãtum potuimus in hoc abbreuiauerimus ſermonem.

De ſingultu. Cap. L X V.

CVm ſingultus poſt groſſi cibi comeſtionem, aut vini valde temperati bibitionẽ ſuperuenerit, aqua calida in qua ciminũ & mentha & mentaſtrum & parum thuris bullierint, multoties in potu erit ſumenda, & ægro

vt dormiat est præcipiendum,& venter vaporã dus,& ieiunandum est ei. Cum autem per multos dies à comestione abstinuerit, iubendus est balneum sæpe ingredi, deinde paucis cibis,desiccantibus tamen, est alendus, sicut sunt galagiæ,& mutagenat cũ seminib9:& vini puri parũ in potu tribuẽdũ.Et si hęc nõ suffecerint,trocisci isti dãdi sunt,q dicunt trociscide thure, & ℞.thuris drachmas quiq;,enulæ drachmas tres, mẽthastri,foliorũ rutę siccę,amborum ana drachmas duas,seminis ✣nemen drachmas tres semis, ĩforment ex his trocisci põdere vni9 aurei, ex qb9 vn9 in die cũ apozimate cimini tribuat. Qz si singultus post febrẽ acciderit, fueritq; cũ eo tribulatio,aut nausea,aut sitis,aut in ore siccitas,aqua calida ægro multoties tribuẽda erit, non tamen repente sed paulatim. Et si sedatus non fuerit, aqua hordei cum oleo de amigdalis dulcibus detur.Sphondyles quoq; colli & dorsi ex oleo tepido inungantur & fricentur,& muscilago psyllij cum iuleb & succo granati in potu tribuatur.Singultui præterea & sternutationi confert retinere anhelitum.

✣ Aliàs sisimbrij.

De canino appetitu. Cap. LXVI.

CVm aliquis famem assiduè patitur,& cibus post comestionem adeò grauat eũ, vt aut vomere aut per inferiorem regionem ipsum eijcere cogatur, rizum dandum est ei: quod dum coquitur ex liquore qui fluit ab agno qui in furno assatur,& impinguat,& cauda & ei similia,nec nõ ex omni cibo qui vnctuosus est:& vinum vetus purũ dãdum est,de quo quantum poterit bibat. Deinde præcipiendũ ei

eſt vt euomat, & hoc regimine cõſeruandus eſt donec ſanetur. Quòd ſi neq; cibus eum grauat, neq; ipſum euomit, neq; per ſeceſſum expellit, carnes vaccinæ ſunt dandæ, & frumentum coctum vt puls, & rizum cum lacte, & aquam frigidam in potu ſumat, & in aëre frigido moretur. Hac autem ægritudine laborans nil acetoſum & ſtipticum neq; acutũ comedat, ſed dulcibus & vnctuoſis ſolùm vtatur.

De dolore epatis. Cap. LXVII.

CVm quis male fuerit coloratus, & cum hoc malam habuerit formam, habueritque dolorem in dextro latere apud coſtas poſteriores, & fuerit eius malus color citrinus, & fuerit cum hoc in ore ſiccitas, & ſitis vehemẽs, aqua hordei, & ſucci herbarũ, vt endiuię & ſolatri, & cuſcutę, cũ Syrupo acetoſo ex zuccaro albo facto in potu tribuãtur. Emplaſtrum quoq; ex duob⁹ ſandalis & roſis, & cãphora, & aqua roſata, cũ pãno lineo loco ſuperponaẗ, qđ hoc modo fiat, Pãnus in p̃dictis inuolutus ſup̱ponaẗ, cúmq; tepere cœperit, remoueaẗ, & alius loco eius apponaẗ. In potu p̃terea ſumat granatorũ ſuccũ, & robub qui infrigidare cõſueuerũt. Hic quoq; à vino & à cõfectionib⁹ quę de melle fiũt, ſibi caueat, & à cibis calefaciẽtib⁹. Et ſumat trociſcos de berberis, q ℞. ſucci berberis drachmas decẽ, ſeminis endiuiæ, ſeminis citrulli, ſeminis portulacę, omniũ ana drachmas tres, roſarũ drachmas duas, raued ſeni drachmã vnã, ſpicæ drachmam ſemis. Informentur trociſci pondere aurei vnius, ex quibus detur vnus cum ſyrupo acetoſo de ſuccaro, aut cũ ſucco granati.

Venter quoque si necesse fuerit cum succo fru-ctuum soluatur, vt sunt pruna & tamarindi, & zuccaro albo. Quòd si mal9 color qui est cũ do lore epatis, fuerit albus, medius videlicet inter eum, qui est cum fluxibilitate, & eum qui est cũ tumore, fuerítque cum eo vẽtris solutio & pal-pebrarum, atque extremitatum tumor, trocisci de raued Seni cum syrupo acetoso de melle in potu dãdi sunt: qui ℞. masticis, succi eupatorij, succi absinthij, seminis fœniculi, anisi, omnium ana drachmas duas, raued Seni drachmas decẽ, informẽtur trocisci pondere aurei vnius, ex qui bus vnus in potu omni die tribuatur. Sumãtur præterea spica, mastix, ciperũ, squinãtũ, calam9 aromaticus, crocus, myrrha: deinde myrrha & mastix ĩ vino dissoluta cũ alijs misceãtur, & ex eis emplastrũ epati superponat̃. Æger verò à ci-bis grossis & frigidis abstineat. Si autẽ hæc non suffecerint, trocisci de lacca cũ apozimate de ra dicibus sunt dãdi. Trocisci autẽ de lacca sunt q ℞. laccę, raued Seni, amborũ ana drachmas tres, spicæ, seminis apij, ameos, masticis, squinãti, se-minis iuniperi, amigdalarũ amararũ, costi ama-ri, rubeę tinctorũ, succi eupatorij, asari, aristolo-giæ rotundę, gẽtianæ, omniũ ana drachmã vnã semis. Informẽtur ex his trocisci pondere vnius aurei. Apozima de radicibus ℞. corticũ radicum apij, fœniculi, amborũ ana drachmas decẽ, semi nis apij, seminis fœniculi, floris squinãti, ameos, oĩm ana drachmas quinq;, rosarũ rubearũ, spicę odoriferę, amborũ ana drachmas tres, coquant̃ in libra vna aquę donec ad tertiã redeãt, & det̃ in potu cũ prædictis trociscis. Si autẽ apostema

ta in epate fiãt, eorũ cura erit vt apoſtematum quæ in ſtomacho generantur.

De Ictericia. Cap. LXVIII.

SI cum ictericia fuerit febris, ſuccus endiuiæ,& ſolatri,& aqua hordei ægro in potu tribuatur. Ipſe quoque ex cucurbita & chryſolocanna,& citrullis,& his ſimilibus herbis frigiditati attinentibus nutriendus eſt,& ſyrupũ acetoſum ex fortiſſimo aceto in potu ſumat. Epati prẹterea emplaſtrũ ex duobus ſandalis eſt ſuperponendum,& venter ex ſucco prunorum,& zuccaro ſoluendus. Quæ ſi non ſuffecerint, trociſci de camphora cum ſucco granatorum dãdi ſunt. Trociſci de camphora, ℞. zuccari, ſpodij, roſarum rubearũ, omnium ana drachmas tres, ſeminis endiuiæ, ſeminis citrullorũ, ſeminis cucurbitæ, ſeminis lactucæ, ſeminis portulacæ, ſandali rubei, omnium ana drachmam vnã. Informentur ex his trociſci pondere drachmarũ duarũ, ex quib⁹ quotidie vnus cũ ſexta drachmæ vnius de camphora detur. Si autẽ æger venas habuerit plenas, fueritq; diu ex quo minutus non fuit, phlebotometur. Quòd ſi ictericia fuerit ſine febre, venter ex his pilulis ſoluatur, quæ ℞. aloës drachmã vnã, ſcamoneæ quartã drachmæ vnius, agarici partes duas drachmę vnius, ſucci eupatorij tertiã drachmæ vnius, ex his cum ſucco endiuiæ confectis, fiant pilulæ & ſufficient ad doſim vnã. Deinde dentur trociſci de lacca cum apozimate de radicibus. Si autem ictericia in oculis remanſerit, æger fortiſſimum acetum paulatim olfaciat,& balneum ingrediatur. Eius quoq; oculis, qui ictericiam cum febre

patitur, aqua rosata immittenda est. Ictericiæ præterea valde confert, vt æger per tres hebdomadas serum bibat.

De hydropisi. Cap. LXIX.

CVm vẽter post epatis dolorem & febres augmẽtari cœperit, & quod est ab vmbilico vsq; ad femur exterius, ꝓminuerit, & cutis quæ ibi est, subtiliari, & albere visa fuerit, & cũ vẽter mouetur, audit̃ sonus quasi aquæ in vase nõ pleno motę, & si cũ his vrina fuerit rubea, parua habenda est fiducia: & propriè si virtutis non affuerit fortitudo. His tamen si virtus fuerit fortis, & venter vehementer siccus, pilulę de raued Seni quæ recipiunt mezereon, sunt dãdæ. Pilulæ autẽ de raued sunt quæ ℞. raued Seni, succi eupatorij, seminis endiuiæ, omniũ ana drachmas tres, agarici drachmas quinq;, mezereon drachmas decẽ, fiant ex his pilulæ, quarũ dosis sit drachmę duę & semis: ex quibus quaq; hebdomada dosis vna sumatur. Quòd si virtus debilis fuerit, trocisci de mezereon sunt dandi, qui ℞. seminis endiuię drachmas decẽ, mezereõ, drachmã vnã & duas tertias, agarici, succi eupatorij, similiter tantundẽ, rosarũ, seminis citrullorum, amborũ ana drachmas duas semis. Ex his omnibus fiãt trocisci decem, de quibus vnus in die cum syrupo acetoso de zuccaro dandus est. Si autem venter fuerit solutus, dentur trocisci de berberis cum syrupo acetoso. Æger quoque nutriatur ex zibabegi, & bibat syrupum acetosum de citonijs. Et si ventris solutio vehemens fuerit, citoniorum rob solum dandum est. Si autem cum hac passione non fuerit vrina rubea,

neque calor, pilulæ istæ dandæ sunt,quę ℞.mezereon, serapini, amborum ana drachmam semis, salis indi, fimi columbini,amborum ana sextam drachmæ vnius.Pilulæ enim istæ aquā vehementer expellunt, & descendere faciunt. Trocisci præterea de lacca cum apozimate de radicibus dandi sunt.Emplastrum ascliti conueniens, ℞. farinæ hordei, ciperi, stercoris ouini veteris,baurach,boli armeni, omnium ana partes æquales. Ex his omnibus tritis fiat emplastrum super ventrem.Huius nanque proprietas est,aquæ magnam partem exiccare.Quòd si in palpebris & extremitatib⁹fuerit apostema molle, & testiculi apostementur, facies quoque ac totum corpus mollitie quadam teneantur, erit tunc hydropisis species quæ hyposarca nominatur. Ægro itaque hac laboranti, trocisci de lacca cum apozimate de radicibus sunt tribuendi, & venter quaque hebdomada ex pilulis de reubarbaro est soluendus, & patiens in arena calida sepeliendus. Ei præterea est præcipiendum,vt exercitio vtatur, & famem ac sitim sæpe patiatur. *Si* verò venter inflatus ac tensus fuerit,& cum percutitur,sonum reddit vt tympanum,hydropisis species adesse significabitur, quę tympanites dicitur.Quam qui patitur,à comestione olerum abstinere debet, atque eorum omnium quæ ventositatis sunt generatiua.Venter quoque omni die ex panico est vaporandus, & ventosæ super ventrem ponendæ, & medicamina tumorē dissoluentia dāda sunt,vt dyaciminum, electuarium de baccis lauri, quod in capitulo de iliaca nominabimus.Æger pręterea

exercitio vti assuescat,& famē pati,& ex collyrijs quæ ventositatē dissoluunt,quorū faciemus mentionem,sibi subijciat.Venter quoq; cū mātili,donec incipiat rubere,fricetur,& ex oleo rutaceo clysterizetur.

De dolore splenis. Cap. L X X.

SI cum dolore splenis fuerit calor,& vrinę rubedo,& febris, æger ex his trociscis sumat.Trocisci de agno casto ℞. seminis agni casti,seminis tamarisci, amborum ana drachmas decē,seminis endiuię,seminis portulacæ, ambo℞ ana drachmas quinq;.Ex his fiāt trocisci, de qb⁹ quotidie deť vnus cū syrupo acetoso de zuccaro,cui⁹ pōd⁹ sit drachmarū triū.Æger verò si replet⁹ fuerit,ex saluatella q̄ est in sinistra manu phlebotomeť. Splen quoq; ex frusto filtri aceto calido īfusi,embroceť: & obserueť à reb⁹ dulcibus & cibis grossis.Quòd si cū prędicta ægritudine nō fuerit calor, ægro trocisci de capparis dādi sunt,qui ℞. corticis radicū capparis, seminis agni casti,amborū ana drachmas decē, scolopēdrię drachmas septē,aristologię lōgę,foliorū rutæ,seminis nasturtij,acori,nigellæ,ōniū ana drachmas tres,armoniaci drachmas tres.Armoniacū in aceto dissoluať,ex quo cætera cōficiātur, & informentur ex eis trocisci pōderātes drachmas duas,ex qbus vn⁹ cū syrupo acetoso de melle, & apozimate de radicib⁹ in potu sumať.Si autē splen tēsus fuerit,& cū premiť,auditur sub eo rugitus,ex prædictis trociscis cum apozimate de radicibus est dandum, & vinum vetus bibendū,& potus aquæ minoretur,quātū plus possibile fuerit. Emplastrum ad duritiem

& ventositatem quæ est sub splene, ℞. foliorum rutæ drachmas decem, baurach, mentastri sicci, amborũ ana drachmas tres, armoniaci drachmas septem. armoniacum in veteri vino dissoluatur, ex quo cætera conficiantur, & fiat ex eis emplastrum, quod loco superponatur.

De passione colica, & iliaca. Cap. LXXI.

SI cum dolore ventris fuerit ipsius constrictio & nausea, sed nec calor nec febris affuerit, ea ægro danda sunt, quæ ventrem sine vomendi desiderio soluant, vt est electuariũ de gallia, quod ℞. masticis, garyophylorũ, zinziberis, melanopiperis, macropiperis, cynamomi, nucis muscatæ, galliæ muscatæ, omniũ ana drachmas decem, scamoneæ drachmas decem. postea exprimantur citonia acetosa & recentia, & succus eorum cum eiusdem quantitatis melle misceatur & coquatur vsq; ad spissitudinem paulatim, & conficiatur ex eo medicamen, quod tamen eiusdem sit quantitatis cuius species sunt, cuiꝰ dosis sit à duabꝰ drachmis vsque ad duas & semis. Quòd si nauseæ vehementia non fuerit, neq; ęger medicinas vomuerit, pilulæ iliacæ sunt dandæ, quæ ℞. coloquintidæ, serapini, amborum ana drachmas decem, scamoneæ drachmas tres, & tertiam drachmæ vnius. Informentur pilulæ, de quibus vnius aurei pondus est dandum. Velociter enim passionem dissoluunt iliacam. Si autem passio iliaca difficilis fuerit, neq; medicamina ventris solutiua ei contulerint, hoc suppone collyrium, quod ℞. salis panis drachmas decem, coloquintidę interioris, scamoneę, amborũ ana drachmas duas

semis.fiant ex eis collyria lõga & supponãtur.
Et si non cõtulerit,ex enemate leui clysterizet,
quod,℞.fic⁹ citrinas quinq;,furfuris quãtũ vna
manu capi potest, maluauisci manipulũ vnũ.
hæc in pãno ligato,& siclæ folia decẽ in duab⁹
libris aquæ coquãtur,donec ad vnã redeant,de-
inde coletur & ponatur sup eã baurach pondus
vni⁹ aurei,olei sisaminivncia vna & fiat clyste-
re ex eo.Si quis autẽ forti⁹ & acutius facere vo
luerit,põdus aurei vnius de collyrio quod prius
diximus,admisceat.Clystere vehemẽter soluẽs,
quo tũc vtẽdũ est cũ medicamina non cõferũt,
neq; venter soluitur,℞. coloquintidæ interioris
drachmas decem, centaureæ drachmas quinq;,
buchormarien,arthanitæ, ãborũ ana drachmas
duas,mentastri,rutæ,origani,omniũ ana mani-
pulũ vnum.omnia in tribus libris aquæ, donec
ad duas tertias libræ vnius redeant,coquãtur &
colentur.deinde dissoluãtur in ea alchitran,mel
lis,amborum ana drachmæ tres,castorei, sera-
pini,opopanaci,collyrij quod prædiximus,om-
nium ana drachmæ duæ:misceantur omnia, &
dum est tepidum,fiat ex eo enema:& si squiba
læ non exierint,iteretur clystere,donec exire vi
deantur.Hoc nanq; clystere administrari debet
cum res fortissima est & pessima , & in colica
mala : & est illa in qua fit nausea valde vehe-
mens,& inferius nihil egreditur.Huic præterea
ægritudini quandoq; fœtida superuenit eructa-
tio,& plerunque stercus per os egreditur: quod
cum accidit , sæpe mortem portendit. Quòd si
cum ventris dolore non fuerit ipsius strictura,
sed inflatio & rugitus ac tensio in ventre exi-

ſtunt,confectio de baccis lauri danda eſt.℞.foliorum rutę ſiccorum drachmas decem,ameos, cimini,nigellæ, cheiſin, origani, carui Alexandrini, ſeminis amigdalarum amararum, melanopiperis, macropiperis, mentaſtri,dauci,acori, baccarum lauri, caſtorei, omnium ana drachmas duas,ſerapini drachmas quatuor,opopanaci drachmas tres. conficiantur cũ melle eiuſdem ponderis , cuius doſis ſit vt auellana vna, aut nabaccha multis vicibus, cũ vncia vna vini calefacti,aut cũ apozimate de radicibus. Huic enĩ cõfectioni in remouẽda vẽtoſitate & diſſoluẽda,nihil æquiparat̃.Hoc præterea ſuppoſitoriũ ſubijciat̃,quod eſt vẽtoſitatis diſſolutiuũ.℞. cimini,foliorũ rutæ viridis,amborũ ana manipulũ vnũ,buchormariẽ,arthanitæ,amborũ ana drachmas tres,baurach drachmã vnã.cõficiantur ex melle:& ſupponatur cũ ſpõgia vel lana. Hoc enĩ diſſoluit ventoſitatẽ,& inferius expellit.Vẽter quoq; aſſiduè ex pãno calido vaporãdus eſt,& æger in tinã mittẽdus.Si autẽ hęc nõ ſuffecerint,vẽtoſa cũ igne ponenda eſt,& locus donec rubere incipiat,fricãd9.Poſt hoc vnctionẽ fieri cõuenit ex oleo rutaceo,& ex alijs oleis calidis & ex eis clyſterizãd9 eſt æger,poſtq̃ eis admixta fuerit,caſtorei,euphorbij,amborũ ana drachma ſemis. Hanc verò ſolitus pati ęgritudinem , dum ſanus eſt , caueat ne vinum aqua mixtum bibat,nec etiam ſumat vinum niſi purum & forte:nec aquam multam bibat,& abſtineat ab herbis & lacte , & omnibus inflatiuis. Philonium faciens Ilioſis cum maximo coarctãtur dolore,& timetur ne ſyncopis ægro ſu-

perueniat, ventoſitatem carminat, & ſomnum prouocat. ℞. piperis, ameos, foliorum rutæ, mẽtaſtri, caſtorei, baccarum lauri, cimini, omnium ana vnciam vnam, opij, mandragoræ, ſeminis iuſquiami, omnium ana vnciam ſemis. cõficiãtur cum melle eiuſdem quantitatis: detur ex eo pondus vnius aurei. Huic quoq; electuario additur plerunq; ſcamoneæ vnciæ vni9 tertia pars & fit tunc medicamen ventris ſolutiuum. Si autem cum dolore etiam febris affuerit, caſſia fiſtula in ſucca endiuiæ bullito & deſpumato diſſoluta ęgro eſt danda, & ſyrupus violatus in potu eſt tribuendus, & nutriẽdus eſt ex taphea cum oleo de amigdalis dulcibus condita, & ex leni clyſterio clyſterizandus. Cum autem loc9 doloris in ventre apparuerit groſſus, & apoſtema habens, æger in princio phlebotometur, deinde caſſia fiſtula cum ſucco herbarũ ſæpe dãda eſt. Et ſit cibus eius, cui hic dolor ex conſuetudine accidere ſolet, taphea vnctuoſa cũ zuccaro, & cum oleo ſiſamino, & abſtineat à reb9 ſtipticis & acetoſis, à cibis groſſis & ventrem ſtringentibus. Qui autem cum hoc dolore vẽtoſitatem pati ſolitus eſt, cibetur cum calagie & mutagenat conditis cum ſeminib9, & abſtineat ab oleribus & lacte, & ab omnib9 quæ inflant. Et bibat vinum forte, & non vitiatũ. Aut hydromel cum ſpeciebus quæ pro condimẽto ponuntur, vt piper, quas dicemus. Hydromellis confectio, ℞. mellis mundi libram vnam, aquæ libras ſex: miſceantur & coquantur diu, & ſpumentur bene donec fiat ad * ſpiſſitudinem iuleb. Cúmq; hoc factum fuerit, in vnaquaque li-

* Aliâs ſimilitudinem.

bra ex eo mittãtur drachmę duæ piperis pulue-rizati in panno ligati, donec appropinquet finis decoctioni eius: & cum infrigidatur, extrahatur pannus & exprimatur, & cũ necesse fuerit, pro-pinetur. Confert etiam cui hæc passio ex ven-tositate & grossa superfluitate accidere solet, oleum de cherua recenti cum apozimate de se-minibus sumptum. Apozima autem de semi-nibus est hoc, ℞. ameos, cimini, cheisim, carui, o-rigani, nigellæ, omniũ ana pugillum vnum, istis admisceantur aquæ libræ tres, & coquantur do nec redeant ad libram vnam & mediam. De hoc itaque apozimate sumantur vnciæ duæ, quibus drachmæ tres olei de cherua addantur, & multis diebus bibantur. Sed si cui dolor iste cum calore superuenerit, pruna viginti, & ficus citrinæ quinq;, & passarum enucleatarum dra-chmæ quinq; sumantur, & coquantur & colen-tur, deinde cassia fistula in eo dissoluta coletur, cui oleum amigdalinum admisceatur, & suma-tur: & ex apozimate, quod in capitulo de rheu-matismo diximus, in potu tribuatur. Venter ve-rò si multum fuerit siccus, prædicto apozimati addantur polipodij, turbith, amborum ana dra-chmæ duæ, & coquantur cum eo, & detur do-nec venter soluatur, cum autem solutus fuerit, remoueatur polipodium & turbith. Electuariũ quod ventrem soluens, inflationem resoluit & grauedinem, ℞. turbith albi fricati & pulueri-zati drachmas viginti, zuccari drachmas tri-ginta, zinziberis drachmas decem. huius pulue ris drachmæ tres ad bibendum dentur. Pilulæ de quibus cum quis ventrem soluere voluerit,

vnam sumere debet, quę appetitũ excitãt, & inflationẽ reprimũt & grauedinẽ, & cibũ digerũt, ℞. masticis, zinziberis, cinamomi, garyophylorum, neheremisch, melanopiperis, macropiperis, scamoneæ, zuccari, violarum, omnium ana vnciam vnam. fiant ex eis pilulæ ad magnitudinem ciceris, & sumatur vna, mouebit enim semel aut bis.

De fluxu ventris. Cap. LXXII.

CVm cibus in stomacho more solito non moratur, imò citius egreditur non mutatus nisi parum, & fuerit cum hoc mordicatio, & dolor in ventre & sitis, cum quo etiam plerũq; adest ventris fluxus, in quo ante comestionẽ inuenitur aliquid purulentũ, detur ægro rob de succo vuæ acerbę, aut de succo ribes, aut de succo granatorum cum spodij, & rosarum, amborum ana drachma vna. Trocisci quoque de spodio constrictiui itidem tribuãtur. Nutriatur autem ex adesia citrina, & pullis cum aceto coctis, & assatis, & in succo vuæ acerbæ positis. In potu verò sumat sumach cum aqua rosata, & deinde nutriatur ex cibo, cui admiscetur sumach qui vocatur sumachia. Totúmque eius regimen ad hoc perducatur, vt infrigidare possit & constringere. Quòd si non fuerit cum eo mordicatio in ventre, neque quod egreditur pus habet admixtum, sed est viscosum, & adest inflammationis paucitas, & pauca sitis & ructus acidus: ægro sicla & sinapis & pisces saliti tribuantur. Deinde cogatur ea vomere, sumendo salem & mel & anetum coctum.

Quæ ſi non ſuffecerint, medicamen quod expel lit phlegma tribuatur, quod ℞. aloës drachmã vnam, coloquintidæ interioris drachmas quatuor, ſalis indi drachmas quatuor, turbith drachmam vnam. Ex his fiant pilulæ, & ſufficiunt ad doſim vnam. Vomitu præterea ſæpe vtatur, & cibaria quibus vtitur, in almuri per ſe intingantur: & comedat ſulcida quæ ſale condiuntur, & quę acrimoniam habent, quę appetitum prouocare conſueuerunt. Si autem cum hoc quod diximus nihil egreditur quod ſit superfluum, neque quod expellitur aliquid purulentum, vel phlegmaticum habet admixtum, ęgro vinum purum, & forte tribuẽdum eſt, & dyaolibanum dandum, quod ℞. olibani drachmas decem, piperis, ameos, ſpicæ, cheiſin, aniſi, nigellæ omnium ana drachmas duas, balauſtiæ drachmas decẽ, mellis deſpumati quod ſufficit ad conficiendum. Detur ex hoc in potu, quia ſtomachum calefacit & vehementer deſiccat. Apozima quoque de ſeminibus quod in capitulo colicæ paſſionis nominauimus, detur: & aſſueſcat in potu ſumere vinum purum. Si verò cibus non egreditur, ſed res ſubtiles & alba & aquoſa, cum qua ſunt, ea quæ epatis ſignificant debilitatẽ, ægro tribuatur id quod fit de ſcoria, & dyaolibanum, & trociſci calefacientes epar, quos nominauimus, & electuarium dyacalamẽtum, quod ℞, foliorum rutæ foliorũ calamenti ſiccorũ, ameos, carui, leuiſtici, zinziberis, cinamomi, macropiperis, omniũ partes ęquales, cõficiãt cũ melle cocto. Et dentur alia medicamina quę nominauim⁹ in capitulo epatis, ex his quæ

ipsum calefaciũt & confortant. Si autē cũ prædicta ægritudine non fuerit significatio debilitatis epatis, imò quod egreditur cũ fluxu subtile est & album: & fuerit in stomacho grauitas, puluis de malis granatis ad transglutiendũ dandus est, qui, ℞. ossiũ granatorum acetosorũ assatorum, & tritorum vt alcohol drachmas centum, carui, seminis coriandri, amborum aceto acerrimo infusorũ & postea assatorũ ana drachmas viginti, xilocaractæ, sumach, balaustiæ, omniũ ana drachmas decem. puluerizētur optime & commisce: & detur ex eis puluis ad transglutiendum. Electuariũ quoq; quod dicitur cazi, detur, quod ℞. arillorũ passarum tritorũ vt alcohol librã vnam, myrtiliorum siccorum puluerizatorum vt alcohol libras quinque. xilocaractæ, Nabati, balaustię, seminis tamarisci, ameos, omnium ana drachmas decem. conficiantur cũ melle de canna, aut cũ melle apum optime despumato, & ex electuario sumatur. Si autem quod egreditur citrinum fuerit, & anum mordicat, & æger sitim patiatur, & febrem, trocisci constrictiui de spodio, & aqua sauich hordei dētur. Trocisci constrictiui de spodio, ℞. rosarũ rubearum, spodij, amborũ ana drachmas decem, seminis acetosæ, sumach, balaustiæ, gũmi arabici, omniũ ana drachmas quinq;. Informentur trocisci pōdere drachmarum duarũ. quorũ vn⁹ cum vncia vna rob citoniorum simplici sumatur. Aqua vero sauich hordei, quã diximus, ita fit: Hordeum fractum in aqua ipsum cooperiente bulliat donec aqua inspissetur, deinde coletur & bibantur ex ea vnciæ quatuor, cum dra-

chmis tribus ſpodij,& gũmi Arabici eadẽ quã-
titate. Quòd ſi ex fluxu ventris euenerit exco-
riatio,puluis de bolo armeno ad tranſglutiẽdũ
detur, qui ℞. pſyllij drachmas viginti, ſeminis
plantaginis drachmas decem , gummi arabici,
boli armeni, amborũ ana drachmas tres. pſyl-
lium aſſetur,& gummi & bolus, puluerizentur
& commiſceantur,& ſumãtur in potu ex eo in
mane drachmæ tres,cum rob de citonijs,&cir-
ca noctem tantundem . Cibus verò eius ſit pul-
mentum factum cum granis granatorũ,& paſ-
ſis cum aqua & aceto,& cibus factus cum ſuc-
co vuæ acerbæ & ſumachia & taphea, cui ad-
miſcetur ſuccus ſumach & his ſimilia cibaria.
Trociſci quoq; de balauſtijs qui cõtinue confe-
runt diarriæ,dandi ſunt, cũ fluxus fuerit ſuper-
fluus ſiue habeat ſanguinẽ admixtũ, ſiue nõ.℞,
gallarũ,ſiliquarũ,Nabati,ſeminis tamariſci,oli-
bani,balauſtiæ,omniũ partes æquales,opij, gũ-
mi arabici,amborum ana partem mediam:In-
formẽtur trociſci pondere drachmarũ duarum,
ex quibus vnus cum vino ſumatur,ſi neque ca-
lor affuerit , neque febris . Sed ſi febris affuerit
cum rob de citonijs acetoſis ſumatur, qui tunc
dandi ſunt,cũ ventris fluxus ſuperfluus fuerit.
Trociſci ad tenaſmũ, qui tunc dandi ſunt,cum
caloris abſentia fuerit, & vẽtoſitas erit nociua,
& ſonitus,℞.ſeminis iuſquiami albi, ſeminis a-
neti,ſeminis fœniculi,ana drachmas quinq;,a-
meos drachmas duas ſemis,opij drachmas tres,
ſeminis apij drachmas decẽ.fiãt trociſci,de qui-
bus pondus vnius aurei in potu ſumatur. Con-
fectio electuarij de ſtorace quę antiquo ventris

fluxui cõfert ac tenasmo, cum neq; febris neq; calor affuerit, sed aderit ventositas nociua, danda erit. ℞. castorei, opij, asari, storacis liquidæ, myrrhæ, seminis iusquiami nigri, thuris, omniũ partes æquales, mellis quod sufficit ad specierũ confectionẽ, cuius dosis sit à drachmis duabus vsque ad tres. Si autem postquam tenasm9 decem transierit dies, non visa fuerint medicamina conferre, & æger supra pectinem sentit dolorem, redeundum est ad clysterium, quod ℞. panici excorticati, rizi excorticati, lẽtiũ excorticatarũ, rosarum siccarum, balaustię, cupularũ glãdiũ, omniũ ana manipulũ vnũ. omnia in tribus libris aquæ coquãtur, donec ad librã vnã & mediã redeant, & colẽtur, deinde sumãtur cerusæ, cineris papyri babylonici, aut cineris papyri, amborũ ana drachma vna, boli armeni drachma semis, vitellus oui vnius assati durus, olei rosati vncia semis, ex his omnib9 in prædicto apozimate fricãdo dissolutis, clysterizetur æger semel aut bis. Q2 si tenasmus fuerit longi tẽporis, in quo nõ egreditur sanguis, sed rasura alba muscilagini similis, medicamẽ putredinis, quod in capitulo de cura gingiuarũ putridarũ nominauimus, dãdum est, ex quo in apozimate eorũ quod nominauim9, fricato & dissoluto clystere semel aut bis fiat. Et si ex vẽtris fluxu ĩ vẽtre vehemẽs mordicatio secuta fuerit, clystere fiat ex oleo rosato tepido. Si autẽ nullo modo mordicat, clysterio ex illo medicamine multoties addat, donec sanet. Epithima quo venter cũ flux9 vehemẽs est, & virtus debilitata, liniẽdus est, ℞. gallię, acacię, ciperi, myrrhę, gallarum, cypressi,

thuris, omniũ partes ęquales. Ex his omnib⁹ vino veteri aut ſucco citoniorũ cõſperſis liniatur vẽter. Huic quoq; quãdoq; addit̃ panis bis coct⁹ de Syria. Si autẽ cũ hac ęgritudine fuerit calor, epithima fieri cõuenit ex duob⁹ ſandalis, & roſis, & bolo armeno, & faufel, & galla & pane bis cocto cũ ſucco macianorũ aut citoniorum, aut myrtino. Q, ſi æger vehementer patiat̃ tenaſmũ, & ſępe vadat ad ſellã, & tamẽ nihil egrediat̃, collyriũ iſtud ſubijciat̃. Eſt eni mirabile ad ſedandũ tenaſmũ, qđ ℞. thuris, licij, croci, gũmi arabici, õniũ ana drachmã vnã, opij drachmas duas. Informentur collyria & ſupponantur.

De difficultate mingendi. Cap LXXIII.

CVm vrina minuit̃, aut ex toto retinetur, neq; in femore apparet tumor, neq; grauitas neq; dolor in renib⁹ ſentit̃, ſuccurrendũ eſt ex medicaminibus vrinæ ꝓuocatiuis, quę nominabim⁹. Vnũ quorũ eſt hoc, quod ℞. ſeminis apij, nitri, rubeę tinctorũ, olixatri, ſeminis iuniperi, ſeminis aſari, ameos, ſeminis fœniculi, ſpicę, amygdalarũ amararũ ana drachmas viginti, ſeminis melonis drachmas decẽ, cãtaridũ quarũ capita & alę abſciſſa fuerit, drachmã vnã, armoniaci drachmas tres. Armoniacũ in vino diſſoluat̃, & alię ſpecies ex eo cõficiãtur. Ex quib⁹ fiãt formę auellanis ſimiles, de quibus ſumãtur ab vna drachma vſq; ad tres drachmas. Hoc enim medicamen valde confert corpori, cum diſſolutionẽ patitur, & laxitatẽ, & hypoſarcæ, & ad expellenda omnia accidentia, cauſa quorũ corpus deſiccari oportet. Quòd ſi cõtingat mingendi difficultas ex caſu aut per-

cussione in femore, aut in ano, aut in eorũ cir-
cuitu, ęger ex basilica minuatur, deinde aqua ca
lida loco sæpe superfundatur, & vsq; ad spatiũ
medij diei ex oleis fricetur. Aegro quoq; præci-
piatur vt vrinam expellere nitatur. Si autẽ min-
gendi difficultas contingat, vesica existẽte ple-
na & extensa, & sit hoc post sanguinis aut sa-
niei mictum, medicamina quæ trumbos sangui
nis, aut pus quod in vesica generatur, soluere
consueuerunt, & eliquare, danda sunt. Medica-
men quod trumbos sanguinis aut saniei quæ
in vesica fit, dissoluit, ℞. cordumeni, myrrhę, ru-
beæ de qua tingitur, seminis iuniperi, armonia-
ci, assæ fœtidæ, omniũ ana partes æquales. Ar-
moniacum dissoluatur, & informentur pilulæ
ex alijs speciebus cum eo conspersis. De quib9
quater in die sumatur cum apozimate de semi-
nibus quod nominauimus. Syrupus etiam ace-
tosus ex forti aceto factus, multoties detur. Per
siringam præterea immittatur in vesicam aqua
in qua dissolutus fuerit sal, aut aqua cineris. Et
ista est confectio aquæ quę fit de cinere, ℞. cine-
rem de * Ilice, cinerem de vitibus, cali, calcem,
his omnibus admisceatur tantum aquæ vt ex
ea cooperiri possint, & dimittantur sic per tres
dies. deinde colẽtur, & per siringã in vesicã inij-
ciãtur. Herba quoq; croci hortulani & sulla co-
cta superponãtur. Tinam præterea assiduè in-
grediatur, in qua sit aqua, in qua cocta sint ca-
momilla, sticados arabicus, sansucus, sisimbriũ,
aut in qua extremitates cauliũ, & sulla, & fim9
colũbinus cocta fuerint: & æger in decoctione
eorum sedeat quãdiu poterit, & ex herbis istis

* Aliàs glãdib9.

ſic coctis fiat emplaſtrum ſuper femur & partes ei circũadiacẽtes. Et dum in tina moratur, ſumat ea in potu quæ vrinæ prouocatiua exiſtũt. Et ſi hæc omnia non profuerint, ad inſtrumentum quo vrina prouocatur, recurrendũ eſt. Si autem mingendi difficultas poſt lapidis ſigna affuerit, æger ſupinus iaceat, & pedes eius diu & diuerſis modis & fortiter quatiendi ſũt. Et ſi vrina non egreſſa fuerit, oportebit vt cum inſtrumento curetur, per quod membro immiſſum fit impulſio. Cauendum tamen eſt, ne virgæ immittatur cum eſt ibi apoſtema. Ad difficultatem quoque vrinæ valde confert ſæpe ingredi tinam, & vngere locum ex oleis, & medicamina vrinam prouocantia in potu ſumere, & abſtinere à nutrientibus acetoſis, & ponticis & groſſis.

De lapide renum & veſicæ. Cap. LXXIIII.

CVm æger virgã ſæpe fricat & manu tractat, ipſa quoq; frequẽter erigit, & * areſcit, & vrina difficulter & cũ dolore egreditur, in qua ægritudine fortaſſe etiam longanon quandoque exit, lapis in veſica eſſe ſignificatur. Si autem æger cum difficultate mingendi ſentit vehementem dolorem in renibus, & in * emunctorijs, & nauſeam & ventris conſtrictionem, in renibus lapis eſſe monſtratur. Lapidi verò qui eſt in veſica confectio hæc vtilis exiſtit, & eſt optima ad frangendum lapidem, etiã cum fuerit vetuſtus. Ego quoq; iam fregi cũ eo magnum lapidem in ſpatio minore quadraginta dierum. Cuius confectio ℞. carpobalſami, ſeminis raphani, dauci, ſeminis olixatri, corticis

* Aliàs ſubtiliat

* Aliàs inguinibus.

radicum opopanaci, corticis radicum capparis, amygdalarum amararum, dãnocochiæ, squinã-ti, ciperi, spicæ indæ, cassiæ ligneæ, sacholocon-drion, harmel, gẽtianæ, aristologiæ rotũdæ, asa-ri, cordumeni, armoniaci, serapini, bdellij, pipe-ris, acori, omniũ ana partes æquales. Gummæ sufficienti balsamo dissolutæ malaxentur, & ex eis aliæ species conficiantur. ex quibus informẽtur pilulę, & sumatur ex eis in die vna drachma cum apozimate de seminibus. Quandoq; etiam sexta pars drachmæ vnius de cinere scorpionũ simul cum eis datur. Cinis verò de scorpionib9 hoc modo fit, Scorpiones sumantur, & in ollam nouam positi os habentem oppilatum super la-terculum in furnũ mittãtur, in quo non sit ve-hemens calor, & sint ibi sex horarum spatio, deinde extracti puluerizentur, & reponantur. Aeger verò nutriatur ex aqua ciceris & calagię & mutagenat. Et abstineat à lacte & caseo, & ab alijs cibis grossis. Ingrediatur tinam in qua sit aqua in qua cocta sint folia caulium & sullę & berengesif, & mentastrum, & fimus colum-binus, & medulla seminis croci hortulani. Fe-mur etiam inungatur ex oleo de scorpionibus, & distillętur etiam ex eo in virgam. Oleum de scorpionibus, quod ℞. aristologię rotundæ, gen-tianæ, ciperi, corticis radicum capparis ana vn-ciam vnã. Hęc omnia in libra vna olei de amy-gdalis amaris posita ad solem per hebdomadã vnã dimittantur, & colentur, & ex primãtur, & pro vnaquaq; libra ex eo adiungãtur ei scorpi-ones decẽ, & totũ in vase, cuius os oppilatũ sit, missum ad solẽ per duas septimanas moretur,

deinde coletur & reponatur. Eſt enim optimum & mirabile, de quo quotidie in virgã guttatim fundendũ eſt, poſtq̃ æger de tina egreditur. Qꝫ ſi lapis magnus fuerit, nõ inuenitur aliud remedium, niſi vt cũ inciſione extrahatur. de hoc tamen loqui noſtri libri huius modũ excedit. Cũ autẽ in renibus fuerit lapis, æger frequẽter tinã ingrediatur, & renes & ilia ex oleis inungãtur, & ea quæ locum calefaciunt, deſuper cũ panno ponantur, vt ſunt ea quæ nominauimus. In potu quoqꝫ ſumãtur ea quæ lapidem frangunt. Si autem lapis ceciderit, & in virga obſtaculũ fecerit, aqua calida ab alto diſtillãdo ei ſuperfundatur, donec rubere videatur, deinde oleum tepidũ guttatim ſuperinijciatur, & fricetur: & ſi neceſſe fuerit, ad exteriora ſugať. Ex hoc enim mouebitur lapis, & exibit. Sed ſi magnus fuerit & anguloſus, neceſſe eſt vt virga inferius incidatur, & extrahatur.

De apoſtematibus renum & veſicæ. Caput LXXV.

APoſtema quod fit in renibus, & in veſica cõcomitatur febris permixta, quę nõ eſt vehemẽtis caloris, cum qua eſt horripilatio & rigor & frequens mictus, & dolor * in inferioribus dorſi & grauitas, & cũ impellitur, videtur ægro ꝙ aliquid ibi ſuſpẽſum ſit. Cũ hæc itaqꝫ ſigna viſa fuerint, æger ex baſilica phlebotomeť ei⁹ partis in qua dolorẽ ſentit & grauedinẽ. Loco quoqꝫ emplaſtra infrigidãtia ſupponãtur: & ſi ęgritudo ſic diſſoluta fuerit, bonum erit. Si autem febris, & dolor, & grauitas perſeuerauerint, & vrina minutim, & frequẽter egre-

* Aliàs ſub.

ditur, significatur pus ibi colligi. Est igitur tunc super dorsum emplastrum ex camomilla, semine lini, furfure, oleo sisamino consperssis ponendum, & ægro vt in tina sedeat præcipiendum. Si autem æger minxerit pus, semina quæ nominabimus in capitulo de ardore vrinæ, sunt danda, donec pus minuatur: deinde dentur trocisci, quos in capitulo de mictu sanguinis & saniei nominabimus. Apostema verò quod in vesica fit, deberet concomitari febris conclusa, & difficultas mingendi, & dysuria, & femoris, & virgæ dolor, & tunc æger ex basilica phlebotomandus est: & fiat ægritudinis cura, quēadmodum prædiximus. Est autē quandoq; renū apostema quod non peruenit ad saniem, imò transit in duritiem, cuius grauitas in renibus sine febre perseuerat. Est ergo clysterizandus ex muscilagine fœnugræci, & seminis lini, & apozimate camomillæ, & cauliū, & meliloti, & maluauisci, ac furfuris, & vomat frequenter. Renibus quoq; superponatur emplastrū ex eis quæ nominauimus. Et si vrina minui videtur, cum illo vrinam prouocātia dentur. Hoc quoq; pro paruo non est habendum, quia ex eo peruenitur ad hydropisim.

De ardore vrinæ. Cap. LX XV.

CVm æger, dum mingit, sentit ardorē & punctionē in virga, à salsis & acetosis, & acutis abstinēdus est, & nutriēdus est ex tapheis lenib9, & zibrebegi, & eorum similib9. Hoc quoq; medicamen ei dandū est: Quod recipit seminis melonis excorticati drachmas triginta, seminis citrulli, seminis cucurbitę, seminis

portulacę, seminis papaueris albi, omnium ana drachmas tres, seminis iusquiami albi drachmas duas, zuccari albissimi ad pōdus omniū. De pul uere horū quotidie in potu drachmę tres in mane, & aliæ drachmę tres circa noctē, cum vncia vna syrupi violati, aut iuleb sumātur. Hęc quoque ęgritudo non est paruipendenda, quia cum sit mansiua & perseuerans, proueniunt ex ea in vesica, & in instrumentis vrinalibus vlcera.

De mictu sanguinis & saniei.

Caput LXXVII.

CVm aliquis propter casum, aut percussionem sanguinem minxerit, ex basilica phlebotometur, & trocisci qui dicuntur trocisci de charabe, in potu tribuantur. Trocisci de charabe. Recipe charabe, gummi tremulæ arboris, amborum ana drachmas quinque, balaustiæ, hypoquistidos, amborum ana drachmas duas semis, olibani drachmas duas, seminis apij, opij, amborum ana drachmam vnam. informentur trocisci pondere aurei vnius: ex q̃bus vnus omni die cum apozimate sumach tribuatur. Ad comedendum verò tribuantur carnes coctæ cum sumach, & carnes coctæ cum succo vuę acerbę. Abstineat à cibis acutis & salsis. Loco verò percussionis superponatur emplastrum ex bolo armeno, & acacia, & aloë, & licio, confectis cum aceto & aqua. Si autem sanguinis mictus euenerit post comestionem ciborum acutorum, aut potum vini acuti, phlebotometur æger, & trociscos de charabe in potu sumat, & eodem, quod prædiximus, gubernetur regimine. Pus verò si minxerit æger, trocisci isti

dãdi ſunt, qui ℞. ſeminis melonis, citrulli, cucurbitæ, omniũ abſq; corticibus ana drachmas viginti, boli armeni, gũmi arabici, thuris pinguis, ſanguinis draconis, omnium ana drachmas decem, opij drachmas tres, ſeminis apij drachmas duas. informentur trociſci pondere drachmarũ duarum, ex quibus omni die vnus cũ ſyrupi de papauere vncia vna in potu tribuatur. Virgæ quoque ex iſto collyrio immittatur. Collyrium de cerusa, ℞. ceruſæ, ſarcocollæ, olibani, gummi arabici, opij, ſanguinis draconis, omnium partes æquales, fiant ex eis collyria, & per ſiringam fiat prius iniectio hydromellis, & mingat æger, & poſt eius egreſſionem fiat iniectio iſtius collyrij diſſoluti in lacte aſinæ.

De his qui non poſſunt retinere vrinam.
Caput LXXVIII.

CVm æger multũ vrinę emittit, & ĩ emiſſione ardorẽ nõ ſentit, aut mĩgit in ſomno, nec patit̃ ſitĩ, neq; corporis extenuationem incurrit, ea quæ vrinam conſtringunt, danda ſunt. Medicamen retinens vrinam, ℞. glãdium drachmã vnã, olibani drachmas triginta, ſeminis coriandri ſicci, gummi arabici, boli armeni, omnium ana drachmas decem. fiat ex eis puluis, de quo in mane drachmæ tres, & circa noctem totidem ad tranſglutiendum dentur. Quòd ſi cum hac ægritudine ſitis fuerit validiſſima, clamoſa, & aqua quæ bibitur, cito egreditur, aqua hordei cum pſyllio detur: & nutriatur cum ſucco vuæ acerbæ, & ſumach & ſimilibus horum nutrientium, & cum cibo qui fit de ſimyla hordei, & maſal: & rob acetoſum

da ei in potu, & prohibeatur laborare, & cum muliere concumbere. Isti quoque trocisci in potu sumantur, qui ℞. spodij drachmas decem, seminis lactucę, seminis portulacę, amborũ ana drachmas quindecim, coriandri sicci drachmã vnam, rosarum rubearum, boli armeni, omniũ ana drachmas quinq;, balaustiæ drachmas duas, camphoræ drachmã semis. sumantur in potu cum succo granati acetosi. Herbæ etiam frigidæ terantur, & super renes ponantur. Et caue at sibi à cibis calidis & vino, & ab omnib⁹ quæ vrinam prouocãt. Illud autem quod ex magno stolidorum errore prouenit, est, quia dãt in hac ægritudine ægro medicinas calidas, vnde ilico deducunt ipsum ad phthisim.

De lumbricis & vermibus qui nascuntur in ano & in ventre. Cap. LXXIX.

QVi hoc nocumento solitus est lædi, à cibis grossis & vnctuosis sibi cauere debet, & quotidie antequam comedat, sumat bucellas aliquas cum sinapi & almuri: hoc enim ipsos generari prohibet. Si verò eos generari cõtingat, nõ cõuenit aliud, nisi vt expellantur. Medicamen ascarides expellens, burũgi excorticati, cũ valde famelicus est æger, drachmæ septem sumantur. Medicamen magnum, expellens lumbricos, ℞. burungi excorticati, turbith, seminis, * nigellæ, omnium partes æquales, lupinorum, nasturtij, cambil, omnium ana partẽ mediam: sumantur ex eo in potu drachmæ septem, prius tamẽ bibat æger lac mox vt mulctum fuerit per tres dies, & deinde quaque die quarta dietet se, & de prædicto medicamine

* Aliàs nil.

in lacte adhuc calido, vt mulctum est, dissoluto, & aceto, dũ valde famelicus est, bibat. Vermes verò minuti, qui in ano fiunt, pro quibus generatur pruritus in eo, & ideo confricatur anus: expelluntur cum coto quod ex oleo abluto inuolutum immittatur, aut inuolutũ oleo de chrysomellis, aut succo mentastri: aut inuoluatur ex parua quantitate aloës, & felle vaccino, & supponatur.

De hęmorrhoidibus, & fistulis, & ragadijs, quæ in ano fiunt. Cap. LXXX.

DVm sanguis recens sine dolore per inferiorem fluit regionem, interpolato tamen tempore, non est constringendus, nisi patiens debilitetur. A multis enim passionibus exinde liberatur. Si autem ex eo debilitetur, indiget constrictione: ideo trocisci de charabe cũ succo sumach dentur. In comestione quoque sumat sumachiam, & cibum qui cum succo vuæ acerbæ fit, & his similia, de illis quæ nutrientia sunt. Si verò multum debilitetur, nutriatur cum succo carnis, cui plerunque succus citoniorum & vinum admisceatur. Vinum quoque bibat stipticum, & super epar ponatur emplastrum de spica, quod in capitulo de epate nominauimus. Et si ista non suffecerint, confectio de scoria ferri detur, quæ ℞. mirobalanorum indorum, belliricorum, emblicorũ, omnium ana drachmas quinque, spicæ, squinanti, cyperi, zinziberis, piperis, ameos, olibani, omnium ana drachmas duas, scoriæ infusæ in aceto per hebdomadam vnam, & postea torrefactæ drachmas quindecim, conficiantur omnia cum melle de-

ſpumato, quod fuerit coctum cum apozimate emblicorum, ſicut in capitulo de melancholia nominauimus, de quo quotidie ad nucis magnitudinem ſumatur. Hoc nanq; hæmorrhoidarũ ſanguinem & menſtruorum conſtringit: fluxui quoque vẽtris longi temporis remedium affert. Si autẽ in ano oritur aliquid prominens extrà, ex quo magnus prouenerit dolor, nec ab eo fluit aliquid, ſuccus cepæ cum pauca lana, aut fel vaccinum ſuperponatur. Suppoſitorium quoq; longum de ciclamine ſubijciatur, quod patiens per totam teneat noctem, & ſi contingat egredi, reintromittatur, donec ſcindatur, & egrediatur ſanguis. Cum autem dolor vehemẽtiſſimus fuerit, & apoſtema magnum in ano, phlebotometur æger, & emplaſtrum hoc ſuperponatur: ſedat enim hæmorrhoidarum dolorem, cum adeſt apoſtema cum eis, quod ℞. melilotum, camomillam: quæ tandiu in aqua coquantur donec diſſoluantur, deinde ſumatur ex aqua decoctionis earum quantum manu vna teneri poteſt, vitellus oui aſſati vnus, croci drachma vna, opij drachmæ duæ, ſeminis lini triti, fœnugræci, maluauiſci, omnium ana manipulus vnus. Conficiantur omnia ex rob in quo bdellij drachmæ tres fuerint diſſolutæ, & folia ſuperpoſita: poſtquam eorum ſuperficies ex oleo ſiſamino in quo adeps gallinaceus fuit reſolutus, aut anatis inuncta fuerit, more emplaſtri ſuperponantur dum adhuc tepida ſunt. Alia confectio dolorem & apoſtema ſedans. Cepe album optimè coctum teratur, & cum butyro vaccino miſceatur, vt mollefiat, & tepefactum ano in quo

est apostema, superponatur. hoc enim dolorem vehementem sedat. Cum verò in ano ragadias habuerit patiens, quæ eum lædunt cum ipsius venter siccus est, pilulis de bdellio sæpe vtatur, quæ recipiũt mirobalanorũ nigrorum, chebulorum, amborum ana drachmas decem, serapini drachmas tres, nasturtij albi drachmas duas, bdellij mollis & pinguis drachmas quindecim, dissoluatur bdellium in succo porrorũ, & ex eo conficiantur alia, & informẽtur ex eis pilulæ, & sumatur ex eis frequenter ab vna drachma, ad quatuor. Locus verò si adustionem patiatur, ex vnguento de cerusa inungatur. Si autem non sentitur in eo adustio, vngatur ex vnguento quod fit ex adipe, qui in gibbo cameli inuenitur, & bdellio, quod sic fit, videlicet vnguentum de Sene. ℞. ceræ citrinæ, olei sisamini, adipis anatis, medullæ cruris vaccini, adipis qui est in gibbo cameli, bdellij, omnium partes æquales, bdellium prius in muscilagine seminis lini dissoluatur, deinde omnia misceantur: hoc enim optimum existit. Si autem æger ragadias in ano habuerit profundas, à quibus foetens virus fluxerit, medicamen acutum, quod in capitulo de vlceribus oculorum descripsimus, eis supponatur, quod æger per duos patiatur dies. Et si in eis aliquid remaneat quod resudet, medicamen iterum apponatur, quod eousque fiat, donec locus siccetur, & non resudet. Quòd si ea quæ ibi fiunt eminentia extrà & pendentia fuerint, in tantum vt arescant & nigrescant, butyrum tepidum multoties superponatur, donec nigredo ab eo remoueatur. Si au

tem resudatio reuersa fuerit, medicamen acutum iterum ibi apponatur. Et si non resudauerit, ex vnguento de cerusa curetur. Est etiam quando eminentes hæmorrhoides extrà curantur, cauterizando cum ferro. loqui tamẽ de hoc plus est quàm hui9 nostri libri modus requirat. Fistulę verò generantur in ano velociter, quoniam figura eius facit illud esse necessarium. Quę aut penetrantes sunt vtrinque, aut non penetrãtes. Cum autem perforatæ sunt vtrinque, stercus egreditur ex eis & ventositas. Si autem non egreditur stercus neque ventositas, non est penetrans ab vtraque parte. Loqui verò de eius cura perfectè, plus est quàm hic noster liber expetat. Sed quia homines ferè õnes semper maximum incurrunt errorem in cura huius ægritudinis, vnde & maximum sequitur nocumentum, ideo nos excitabimus eos ad hoc, quod huic ęgritudini congruum erit, & ostẽdemus qualiter à prædicto errore se custodiant. Et dicim9 quòd fistula vtrinque perforata, cum ab ano remota fuerit, nullo modo ferro est tangenda. Ex incisione enim ferri cõtingit stercus inuoluntariè egredi. Est etiã aliud quare fistula ab vtraq; parte perforata, ferro tãgi non debet. Quia toto tẽpore vitę ægri sic permanere poterit, non magnũ faciens nocumentũ, nec proueniet ex ea aliquid, nisi resudatio & fluxus. Si autẽ illud quod ab ea fluxerit, acutum fuerit & mordicatiuum, & fœtidum habuerit odorem, cuius etiam quãtitas quotidie augeatur, erit fistula putrida, & cum herpete estiomeno: cui ex medicamine acuto, & ex eo quod complet omnia, succurren-

dum est, ãtequam dilatetur & magnificetur. Cũ autem non resudauerit nisi parum, neque eius quãtitas quotidie augeatur, neq; magnificetur, neque malus odor ibi augmentatus fuerit, non est in ea aliquid, quod sit timendum, nisi resudatio & fluxus. Quę medicari potest, donec siccetur, & detumescat, & non resudet per lõgum tempus. Si autem resudatio redierit, medicamẽ prædictũ adhibeatur, & hoc modo poterit blãdiri per totum tempus vitæ ægri, & non nocebit. Modus adhibendi medicamen huic ægritudini: Ex collyrio quod in capitulo de fistula oculi nominauimus, sumatur, & optimè teratur, & fistula prematur, donec, quicquid in ea continetur, egrediatur: & si radius eam ingredi poterit, inuoluatur coto, deinde ex predicto medicamine, postquam mollificatum fuerit, intinctus in fistulam mittatur. Si verò minime radius in eam ingredi poterit, dissoluatur medicamen in aqua, & subleuetur coxa ægri, supposito puluinari, & eo supino iacente, prædictum medicamen distillando super fistulam fundatur: & fiat hoc in mane, & circa noctẽ per tres dies, & sedeat in aqua de curcuma, & lauetur ex ea.

De exitu ani, & matricis. Cap. LXXXI.

CVm anus extra egreditur, apostemate carens, & ita disponitur, quòd si impellatur, ingreditur cerusæ, balaustiæ, gallarum, aluminis, antimonij, omnium partes sumantur æquales, & redigantur in puluerem, & super locum ex oleo roseo calefacto inunctum puluerizentur, & anus intromittatur, & cõstringatur, quod tamen fieri conuenit, postquam æ-

ger à ſella reuerſus fuerit, ne eum cito ſurgere ad ſellam ſit neceſſe. Sumantur etiam gallæ, balauſtiæ, cupulæ glandium, folia myrthi, & coquantur in aqua donec rubea fiat, & ſedeat in ea & lauetur ex ea. Quòd ſi anus qui apoſtemoſus eſt ingredi minime poteſt, æger aquam calidam frequenter ingrediatur, & in ea ſedeat & vngat anum ex cera & oleo camomillino, aut anetino, donec ingrediatur. Cúmq; intromiſſus fuerit, ex his quæ nominauimus curetur. Vulua præterea ſi egreſſa fuerit, ſimiliter erit medicāda. Eſt tamen neceſſe vt fortiter ligetur, & vt ægra ſemper ſupina iaceat & coxę ſuperius eleuentur.

De ſuperfluitate menſtruorum conſtringenda. Cap. LXXXII.

PRo ſuperfluis menſtruis conſtringendis, trociſci de charabe per hebdomadam vnam ſunt dandi. Qui ſi non contulerint, confectio de ſcoria detur, & fiat minutio ex baſilica. Ventoſæ quoque ad mamillas apponantur, & in comeſtione ſtipticis vtatur cibis. Et hoc medicamē ægra ſibi ſubijciat, quod recipit olibani, balauſtiæ, gallarum, antimonij, acaciæ, aluminis, omnium partes æquales. Puluis horum optimè tritorum, cum pauca lana ſubijciatur. Femur verò & dorſum ex epithimatibus, quæ in capitulo de fluxu ventris nominauimus, epithimentur, & ſedeat in aqua de curcuma. Quòd ſi iſta non contulerint, ex alio peſſario acuto fiat immiſſio, & maneat in vulua.

De retentione menſtruorum, & eorum prouocatione. Caput LXXXIII.

CVm ex retentione menſtruorum magna ſequitur paſſio, trociſci de myrrha dẽtur, qui ℞. myrrhæ drachmas tres, lupinorũ optime tritorum drachmas quinque, foliorum rutæ, mentaſtri, pulegij, cimini, rubeæ de qua tingitur, aſſæ, ſerapini, opopanaci, omnium ana drachmas duas, informentur trociſci ponderantes drachmas duas: ex quibus detur vnus in die cum aqua in qua ſemen iuniperi coctum fuerit. Hoc nanque medicamen adeò vehemens exiſtit in prouocandis menſtruis, vt etiam fœtum excutiat, ſi qua eo ſæpe vtatur. Ventoſæ quoq; ſub curuatura poplitis ſunt ponendæ, & phlebotomia ex ſaphena faciẽda eſt. Poſtremo quoque ventoſæ femori ſunt ſuperponendæ.

De ragadijs ſeu ſciſſuris vuluæ aut matricis. Cap. LXXXIIII.

HÆ curandæ ſunt ex medicamine ragadiarum ani. Peſſarium quoque ex adipe anatis & hyſopo, ceroto, & medulla cruris ceruini, mixtis cum cera diſſoluta in oleo de lilio, aut narciſſino ſubijciatur, ſi neque febris neque acuitas affuerint. Quòd ſi illud fuerit cum calore & acuitate, oleum roſatum adhibeatur. Ex vnguento quoque de ceruſa ſimiliter fiat peſſarium. Si autem calor fuerit vehementior, ſumatur ſuccus portulacæ, aut lactucæ, aut muſcilago pſyllij, & fiat tabula de plumbo ſimilis marmori in quo teruntur colores, habens in circuitu labium paruum, & ponatur in ea aliquid de prædictis ſuccis, & cum piſtello plumbeo a-

deò ſuper ipſam moueatur, vt de plumbo multum prædicto liquori miſceatur, & inſpiſſetur ſuccus, ex quo fiat peſſarium, poſtquam oleum roſatum ei admixtum fuerit, & ſupponatur. Hoc enim medicamẽ cancro vulnerato qui eſt in matrice, optimũ exiſtit, & alijs ei ſimilibus.

De apoſtematibus vuluæ ſeu matricis. Caput LXXXV.

SI cum apoſtematibus iſtis adeſt calor & febris, phlebotomia ex * baſilica fiat, & patiens aqua hordei nutriatur, & liniantur renes, & femur, & ilia, & ſumen ex epithimate apoſtematis calidi, & infrigidetur locus quantum poſſibile eſt. Si verò poſtquam febris & acuitas quieuerint, & remanſerit ex apoſtemate calido aliquid, ex inunctionibus liquidis curetur, & mulier in huiuſmodi liquidis ſedeat donec molleſcat & maturetur. Peſſarium mollificans dura apoſtemata matricis, & conferens doloribus in ea factis, & paulatim eos quieſcere faciens. Recipe adipis anatis, medullæ cruris ceruini vel vaccini, bdellij mollis, croci, vitelli oui aſſati, fæcis olei de ſeminibus lini, fæcis olei de lilio, omnium ana partes æquales: diſſoluantur in vino aut rob, & fiat ex his peſſarium, eſt enim optimum ad ſedandum dolorem, & mollificandam duritiem matricis. Patiẽs preterea ſedeat in aqua in qua cocta ſint fœnum græcum & ſemen lini, & camomilla, & melilotũ, & caulium extremitates, ſingillatim, aut omnia ſimul.

* Aliàs cephalica.

De vlceribus,apostematibus,& cancro matricis. Cap. LXXXVI.

CVm à vulua fluxerit sanies spissa,aut virus tenue, si ex propinquo manat loco, neque fuerit ibi profunditas fœtida neque putrida, sumenda sunt aloës, & myrrha, & sanguis draconis, & sarcocolla, atque olibanum,& loco superponenda donec consolidetur. Si autem ex loco manauerit remoto, ex pessario,quod nominauimus in capitulo de sanguine & sanie,fiat prodisnia.Si autem quod fluxerit est fœtidum, odorem habens malum, ex pessario secundo acuto fiat iniectio, postquam locus mundificatus fuerit,ex aqua & melle iniectis per instrumentum ęneum.Si verò cum hoc quod fluit,affuerint punctio & dolor & apostema durum,quod tactu discernitur,summopere cauendum est,ne aliquo acuto medicamine tangatur. Sed fiat iniectio ex confricatione plumbi,quam diximus, aut ex vnguento de cerusa, & phlebotometur ex basilica.Et custodiatur ab omnibus quæ choleram gignunt nigram,& seminibus & speciebus quæ pro condimento admiscentur cibis.

De præfocatione matricis. Cap. LXXXVII.

CVm menstrua per lõgum temporis spatium retenta fuerint, aut mulier à commixtione viri diu abstinuerit,licet valde affectauerit, & euenerit grauitas & dolor in inferioribus partibus * suminis, & senserit quasi aliquid sursum trahi à parte suminis, fortasse post ista superueniet ei syncopis, & quasi mortua cadet:perpendi quoque vix poterit, ꝙ ipsa

* Aliàs femoris.

attrahat aërem,vel habeat pulsum , & forsitan prȩfocabitur & morietur,& fortasse sanabitur, laboriosè tamen.Hȩc itaqꝫ passio ilico vt euene rit curanda est.Cuius curatio est , vt pedes forʼ titer fricentur & ligentur , & ventosa magna sumini superponatur.Obstetrici quoque præciʼ piatur, vt digitum oleo bene redolēte inungat, & in circuitu oris vuluæ dum est intus bene cō moueat . Naribus præterea condisi insuffletur, & circa aures ipsius voces clamando proferanʼ tur,& nihil quod bene redoleat olfaciat,imò be ne redolentia & algalia remoueantur. Et pectē & eius superiora ex eis epithimentur,& narib9 malum reddentia odorem applicentur, vt sterʼ cus & castoreum & sulphur. Cum autem saniʼ tati restituta fuerit,ex hoc medicamine curetur, ne ægritudo redeat.Quòd si ægritudo hȩc post menstruorum euenerit restrictionem,ea dentur quæ menstrua prouocant.Et in pedibus fiat mi nutio, & ventosæ in eis apponantur . Si autem post longam viri * disiunctionem cōtingat, ex quo etiam sæpius accidit , incipiat viri consueʼ tudinem habere, aut obstetrix iteret illud sæpe quod prædiximus in omni pauco tempore: aut medicamina quæ minuunt sperma,dentur,quȩ prȩdiximus.Et dētur trocisci de myrrha,quos ī capitulo de mēstruis ꝓuocādis nominauimus.

*Aliàs dissuetudinem.

De mola matricis. Cap.LXXXVIII.

MVlieribus plerunque accidit passio, ex qua prægnantium dispositionis similiʼ tudinem incurrunt.Venter nanque cre scit,& discoloratȩ fiunt,& retinentur mēstrua. Motus tamen qui est in hac ægritudine,non est

vt motus infantis, imo quandoque de suo mouetur loco, cum duriter tangitur. Ad vltimum verò cum angustia & dolore frustum carnis informe, ac si parerent, emittunt. Plerunque verò solummodo ventositas & humorum multitudo emittitur, & deinde minuitur venter, & remouentur accidentia. Postquam ergo tempus præterierit, in quo scitur puerum debere moueri, si adesset, trocisci de myrrha dandi sunt, & apozima de seminibus, & oleum de * cheisim adhibendum, pessarium ex ruta & mẽtastro, & alia pessaria prædicta in capitulo de alleuiatione partus, sunt immittenda. Doses quoq; de pilulis fœtidis frequenter tribuendæ sunt, cũ hoc enim cito euadent.

* Aliâs crasin, id est, de balsamo.

De hernia & eminentia & ruptura inguinis. Caput LXXXIX.

CVm aliquis in mirach ventris habuerit eminentiam, quæ, cum supinus iacuerit, & cum leuiter locus digitis comprehensus fuerit, remouetur: & cum sederit, redibit: passio adest quæ ruptura dicitur. Qui hoc itaque patitur, sibi cauere debet ne post comestionem moueatur, neque comedat fabas, & hoc præcipuè, neque phaseleos, neq; lentes, neque olera, neque aliquem cibum inflatiuum. Studere etiam debet, vt eius venter semper mollis sit. hoc nanque regimine possibile est ipsum euadere dolorem. Loco præterea aliquod superponẽdum est obstaculum, & stringendum: & propriè, cum se mouere voluerit. Grossus quoq; si fuerit, & ventrem habuerit grauem, non debet vti motu, nisi venter prius sub vmbilico ãpla cingatur. fascia.

Emplaſtrũ ad rupturam, Recipe gallarum cy-preſſi partes duas, myrrhæ, cyperi, ſanſuci, gal-larum, acaciæ, olibani, gummi arabici, omnium ana partem vnam. gummæ prius in vino reſol-uantur, & aggregentur cum eius reliqua, & ſu-per rupturam, ægro ſupino iacente, ponantur: & ſtringatur locus, & non ſoluatur vſque ad * tres vel quatuor dies. Poſtea ægro ſupino iacen-te, ſoluatur, & illo reiecto, de eodem emplaſtro ſuperponatur, ex hoc enim prohibetur amplia-ri. In ruptura autem teſticulorum pellis oſcei augmentatur: quod fit aut propter ventoſitatẽ, aut propter aquam, quæ ibi congregatur, aut quia inteſtina deſcẽdunt ad locum illum. Si ve-rò propter deſcenſum inteſtinorum contingat, erit grauis & doloroſus, & ſentiet dolorem cum tangetur. Taliter itaque patiens, ſicut prædixi-mus, regendus eſt, & emplaſtrum prædictum ſuperponendum, & locus ligatura aſſiduè eſt ſtringendus. Ruptura enim cum nõ ſtringitur, dilatatur & augmentatur ſemper. Si autem cau ſa aquæ fiat, locus apparet lucidus, & terſus & tenſus. Huic itaque confert epithimari ex epi-thimate, quod in Capitulo de Hydropiſi nomi-nauimus. Aqua quoque in hac ægritudine ple-runque petit inferiora, & fluit inde: vnde æger per aliquod tempus ſanus efficitur, ſed poſtea re dit ægritudo. Poſtquam ergo aqua fluxerit, cu-randus eſt æger ex cauterio & medicamine. Ex hoc enim prorſus curabitur, nec ægritudo redi-bit. De hoc tamen loqui plus eſt quàm hic no-ſter exigat liber. Cum autem hæc ægritudo ventoſitatis cauſa cõtingat, locus fricandus eſt,

* Aliàs ſex aut ſeptem.

& ex oleo ſambucino, in quo caſtoreum & euphorbium diſſoluta fuerint, inungendus: & ex eodem intus in virgam guttatim diſtillãdũ eſt.

De Podagra, arthretica, & ſciatica.
Caput X C.

CVm in iuncturis fuerit dolor & apoſtema: & locus cum tangitur, fuerit tactu calidus, & color rubeus, æger ſi dolet in dextro pede, ex dextra manu: & ſi in ſiniſtro, ex ſiniſtra eſt phlebotomãdus, & locus ex hoc medicamine liniendus. Epithima ℞. roſarum rubearum, ſandali, fauſel, ſief memithæ, boli armeni, opij, omnium partes æquales. Ex iſtis in aqua & aceto diſſolutis fiat epithima. Pſyllium quoque aceto infuſum in charta miſſum de panno ſuperponatur, & cum tepuerit, mutetur, & loco eius aliud ſuperponatur. Venter prçterea ex apozimate mirobalanorum, & hermodactylorum ſoluatur. Apozima mirobalanorum cum hermodactilis. Recipe mirobalanorum citrinorum drachmas quindecim, pulueris turbith friscati, polipodij, amborum ana drachmas tres, ſene, ſeminis fumi terræ, amborum ana drachmas quatuor, hermodactyli albi, ſeminis endiuiæ, ſeminis apij, roſarum, omnium ana drachmas duas. coquantur in tribus libris aquæ donec ad vnam redeant, deinde manibus fricentur, & colentur, & bibantur cum zuccari taberzet drachmis decem. *Si* quis apozima faſtidierit, pilulas iſtas ſumat: quę in lecto iacentes ſurgere & incedere faciunt, & pedibus ambulare. Pilulæ quę non valẽtes incedere, ſurgere faciũt. ℞. aloës drachmam vnam, ſcamoneæ quartam

partem drachmę vnius, rosarum rubearum tritarum sextam drachmæ vni⁹, hermodactilorū alborum drachmam semis. informentur ex eis pilulæ, quæ erunt dosis vna. Aeger verò nutriatur ex cibis frigidis & stipticis, & abstineat à vino & cōfectionib⁹ quæ ex melle fiūt & carne.

Cum autem apostematis calor quieuerit, & eius inflammatio: ex his quę calidorum apostematum reliquias resoluunt, curetur. Quorum vnum, Recipe ceram in oleo de lilio resolutam, cui admisceatur muscilago fœnugręci, & seminis lini, deinde terantur simul donec vniantur, & fiat ex eis epithima. In tempore autem suæ incolumitatis, & propriè circa tempus. In quo ægritudo eum inuadere consueuit, & quàm maxime in vere, assuescat phlebotomia vti, & ventris solutione, ex his quæ choleram expellūt rubeam, & à potu vini abstineat: & à comestione eorum quæ ex melle conficiuntur, & à carne. & sint eius cibaria acetosa, & stiptica, & his similia ex his quæ infrigidant. Membra autem quæ hanc consueuerunt incurrere passionem, minus solito laborem pati assuescant, & præcipuè cum tempus inuasionis timetur, & cū corpus fuerit plenum, & venæ plenæ, & fuerit diu ex quo neq; minutus neq; solutus fuerit.

Cum autem cum dolore iuncturarum neque calor neque rubor in colore affuerit, fueritque æger frigidæ complexionis: & locus tactu sentitur frigidus: in principio curationis eius pilulæ maiores de hermodactilis dandæ sunt. Pilulæ maiores de hermodactilis. ℞. hermodactilorum, satyrion, meizahara, omniū ana drachmas

quinqꝫ, hieræ pigræ drachmas decem, coloquintidæ, ceutaureę minoris, amborũ ana drachmas quinqꝫ, euphorbij drachmas duas, turbith drachmas decem, ſeitaragi indi, zinziberis, ſinapis, piperis, caſtorei, omnium ana drachmam vnã. Informentur ex eis pilulæ, ex quibus à duabus drachmis & media, ad tres ſumantur. Hæ nãqꝫ pilulæ valde conferunt: quia non valentes ſurgere, incedere faciunt. Epithima ad podagram frigidam. Recipe ſtoracis liquidæ, caſtorei, euphorbij, myrrhæ, aloës, acaciæ, omnium partes æquales: ex his omnibus vino veteri admixtis fiat epithima. Cúmqꝫ iſte dolor quieuerit, ſuccurratur patienti ex diſtillatione multæ aquæ calidæ ab alto: & inunctio fiat ex oleo de lilio, & emplaſtrũ ex bdellio molli & ſtorace, ac fœnugræco, & ſemine lini, & armoniaco, ſuperponatur, quod hoc modo conficiatur. Armoniacũ & bdellium in vino veteri reſoluantur, & alia omnia eis admiſceantur, ex quibus fiat emplaſtrũ, & ſuperponatur. Hæc nanque ægritudinis ſpecies eſt, quę in lapidis duriciẽ tranſit, & reddit membra & iuncturas fungis ſimilia. Quapropter hanc habens paſſionem à faſtidio & ab aqua frigida, & à cibis groſſis, & à frequenti ebrietate cuſtodiatur, eique præcipiendum, vt dum ſanus eſt, motu vtatur, & à coitu abſtineat, & præcipuè cum ſatur fuerit: neque balneum ingrediatur, neque exercitetur poſt comeſtionem. Vinum præterea vetus & purum bibat. Eis quoque dum ſanus eſt, vtatur quæ vrinam prouocare conſueuerunt.

Dolor verò qui ſciaticus vocatur, eſt qui ab

ancha per coxã totam vſq; ad genu in lõgitudinem protẽditur. Quãdoq; etiã in lõgitudine ad virgæ ſimilitudinẽ extenſus,per crus vſq; ad pedes deſcendit : & tunc ſi in complexione fuerit caloris dominiũ, & vrinæ tinctura , ex baſilica manus eiuſdem partis prius minutio facienda eſt, deinde ex ſciatica. Si autem ægri cõplexio frigida fuerit , & color fuſcus, ſæpe prouocandus eſt vomitus ex apozimate raphani cũ ſyrupo acetoſo. Coxa quoq; ac pes & crus, ex oleo in quo caſtoreũ & euphorbium, & ſtorax ſint reſoluta,inungantur aſſidue.Q; ſi dolor in coxa manſiuus fiat, æger ex almuri, nabati, & baurach clyſterizetur,&ex enemate acuto,quod in capitulo de apoplexia nominauimus. Collyriũ quoq; ex ciclamine , & coloquintida factũ ſupponatur.quod eo vſq; fieri cõuenit,donec æger excoriationẽ incurrat,ex ea enim,dum accidit, plerunq; cõſequitur ſanitas. Si autẽ paſſio inueterauerit,ſinapis ſumatur, & cũ fimo colũbino eiuſdem quãtitatis teratur , & ex apozimate ficuũ conficiãtur, ex quibus coxæ emplaſtrũ ſuperponatur,quod tãdiu dimittatur donec in loco veſicæ plenæ aqua fiant,& ſcindantur,& effluat aqua quæ in eis eſt,& vaporetur locus cũ aqua calida . Deinde æger per aliquot dies quieſcere dimittatur,& ſi nondũ ſanitati reſtitutus fuerit,ad hãc eandẽ curã redeundũ eſt.Quòd ſi ægritudo valde manſiua fuerit & longi temporis,& timetur ne vertebrum proſiliat aut egreſſum fuerit,locus ex inſtrumẽto, quod rotę aſſimilatur cauterizãdus eſt:& intẽdatur cũ coctura ſuper caput anchę apud caput coxę ponẽda.

Huius tamē rei ſermocinatio iſtius noſtri operis metas tranſcendit. Taliter præterea patientes in tempore ſoſpitatis vomere cōſueſcant, & ſoluere ventrē,& regimen ſubtiliare, & à cibis groſſis & frequenti ebrietate abſtinere.

De Gibboſitate,cum fieri incipit.Cap.XCI.

CVm gibboſitas fieri incipit,pilulę maiores hermodactilorum dandæ ſunt, & oleum de * cheiſim cum apozimate de ſeminibus ſæpe ſumendum . Locus quoque ex oleo ſambucino,in quo ſtorax liquida,& caſtoreum,& euforbium reſoluta ſint,frequenter inungendus : & à cibis frigidis & groſſis abſtinendum . Aqua etiam calida in qua cocta ſint mentaſtrū & ſanſucus,& ſticados arabicus, ab alto ſuper locum diſtillanda eſt,deinde frequēs fricatio,& inunctio ex oleis calidis facienda eſt. Quòd ſi is qui hanc patitur ægritudinem,puer fuerit, balneum ſolummodo & inunctiones ex his quæ prædiximus ſufficiunt . Si autem cum gibboſitas incipit,affuerit febris,à prædicto regimine omnino abſtinendum eſt, ſed apozima ex herbis factum cum caſſia fiſtula in potu eſt tribuendum.phlebotomia quoq; ex baſilica facienda eſt,& emplaſtra vehementia loco ſuperponenda ſunt.

*Aliàs raſim.

De varicibus. Cap.XCII.

CVm venę groſſę & plenæ & diuerſo modo curuatæ, & virides in crure apparuerint, ægritudo quæ vitis vocatur , adeſſe ſignificatur.Hæc autem ægritudo frequentius accidit his, qui multum pedibus laborare conſueuerunt, & qui cibaria choleram nigram ge-

nerantia frequenter sumunt. In principio itaq; curationis huius passionis, basilicam minuere conuenit, & uentrem, ex his quæ choleram educunt nigram, soluere: quorum mentionem fecimus in capitulo de melancholia. Hęc autē sæpe facienda sunt, & ab omnibus à quibus melancholiam patientes custodiuntur, in hac ægritudine abstinendum est. Postquam verò hoc regimen diu adhibitum fuerit, ex venis quas in crure apparuisse diximus, minutio fiat: à quibus sanguis tam diu fluere dimittatur, donec quicquid in eis est, euacuetur. Deinde huiusmodi patiens choleram nigram expellentibus vtatur, & ex basilica minuatur, & caueat sibi ab omnib9 quæ choleram generant nigram.

De elephantia. Cap. XCIII.

Haec passio postq̄ māsiua fuerit, incurabilis est. Cum autem incipit, si ei subueniatur, & vt debet, medicata fuerit, aut sanatur, aut manet sic, nihil addens. Cum ergo pedis grossities augeri videtur, & color obfuscari, venæ quoq; quæ vites vocātur apparere cœperint, æger assidue cogendus est vomere, & custodiendus à deambulatione nimia, & statione: & venter, vomitu præcedente, ex pilulis maioribus de hermodactilis soluendus est, deinde ad vomitum redeundum post illud. Hoc quoque multoties fieri oportet. Aeger præterea à cibis grossis est abstinendus, & tibia à calcaneo incipiendo sursum vsq; ad genu stringēda. ante tamen cōstrictionem epithimanda est ex aloë & myrrha, & acacia, & hypoquistidos, & alumine cum aceto forti dissolutis. Ex basilica quoque

ut: Rasim lo. 12 continens

manus contrariæ partis minutio facienda est. Neque erectus stet, nisi pes prius stricte ligatus fuerit, neq; epithima vllo modo dimittat. Vomitu quoq; frequẽter vtatur. Quòd si paruum intercesserit spatium à pręcedenti vomitu, & appetit quiescere, vapora ipsum cum seminibus caulium, & sticados arabico, cinere de vitibus, & lupinis, & nitro, & stercore caprino, & farina fœni græci, & liniatur etiam ex aqua cineris per spatium vnius diei aut duorum. Ipsa enim huius ægritudinis maximam resoluit partem, aut leuiorem reddit.

De rubore & vlceratione lumborum, seu renum. Cap. XCIIII.

CVm aliquis longo tempore supinus super dorsum iacet, loca renum plerunque rubent, & mala ibi fiunt vlcera. Cum ergo loca ista rubere cũ augmento visa fuerint, milium siue panicum aut folia salicis sub eo sternenda sunt: & ipse in die multoties est eleuandus. loca quoque quæ rubent aqua rosata super niuem infrigidata, roranda sunt, & flabellanda. Quòd si calor perseuerauerit, imponatur epithima de alhubrati, quod in capitulo de apostematib9 nominauimus. Et si vesicę & vlcera ibi exorta fuerint, ex vnguento de cerusa curentur.

De doloribus exteriorum siue extremorũ membrorum. Cap. XCV.

CVm dolor in manu aut pede fit, æger interrogandus est si ex percussione hoc ei accidit, aut si aliquid super ipsum mẽbrum cecidit, aut si super ipsum diu iacuit, aut si contigit ex causa extrinseca. Si autem ab ex-

teriori causa non contigerit, locus dolens considerandus est, an sit magis rubeus, quàm reliquũ corpus, aut non. Si enim toto corpore rubicundior fuerit, ex calidi apostematis medicamine curandus erit. Et si membrum neq; fuerit calidum, neq; rubeum, sed iam quotidie obfuscatur & siccatur, aqua calida ab alto est super ipsum distillanda: & ex oleo & cera resoluta inũgẽdũ, & dimittẽdum sic, donec dolor sedetur. Quòd si locus grossior videatur, & tactu etiã frigidior sentiatur, frequenter erit fricandus, & aqua calida in qua sansucus & camomilla, & sticados arabicus cocta fuerint, ab alto, vt diximus, super ipsum erit distillanda, & ex oleo de cheiri citrino inungendus. Regimen quoq; eius subtiliandum erit. Ipse verò multo vtatur exercitio, & in balneo sudet. Si autem ista non suffecerint, venter ex his soluatur, quæ humiditates educunt. Membrum præterea si tactu sentitur frigidum, fricetur prius, & deinde inungatur ex oleo costino & sambucino, & oleo de been tepidis & his similibus. Quòd si ista non suffecerint, ex vnguentis quæ in capitulo de paralysi nominauimus, inungendum erit, donec sanetur.

Finis noni tractatus libri Rhasis ad Regem Almansorem.

ELENCHVS BREVIS MORBOrum, quorum ſigna, cauſas, & curationes, hoc libello explicantur.

Talis medicina pt exhibiri mulieri pregnanti et exhibui.

R. diapruni lenit. ℥ i.
Elec. indi mai. ℥ ij me expedire oz
Misce et de sibe ℥ iij mucchari Ros.
disoluat ut decoctione cor nimis ma
gna dosis equm i serpicerit

vera dosis hec est

R. diapru. leni. ℥ i.
Elec. indi ma. ℥ ij.
cum decoct. cor fiat p. 6.
adde mucchari Ros. ℥ i.

pudenda ob aneris meatu pro Liber quo in eius semen genitale fluxit, recto g in cetera in femina uteru in ulcera possim

Saccaru uetus iracen habet facultate abster gendi et glutinandi. veteris magis abster git glutinat aut magis ex[illegible]

[illegible]lera cura est ad gal. 5. 32 [illegible]
17 da jagno d carne qual [illegible]
8 la [illegible]

℞ capta Ant.[ij] Benedi

℞. pil. agarzam. ℥.i.
corticis helebori nigri g.[r] iiij
Agarici nociscani ℈.i.s.
Misce cum syrupo sticados et fiant
pilule n.[o] vij. quas quas 8.[m] mesue nil
conferat numerus sed quantitas sola
et dosis.

mesue unciarum quomodis a, mediis

℥ ℥ ℥ ℥ ℈ ℥ ℥ ℥ ℥ ℥ ℥ ℥

qd sit aureus ... ~~mesue~~ modi
sup confectione reticuli cuius m
sue de electuariis fol xlvij ubi
mesura q paulo maioris gram
℥ qs sit ℥
vide de ponderibus et mensuris aui
cannone qnto summa 2a trac
viij cap 46 ——
vide thesaurum aromatariorum
ubi agitur de ponderibus
mensurarum.

[illegible] scribendi medicorum in facie
[illegible] ptas, sine quod nihil recte ac legi
[illegible] medicus in curando facere pt.

Libra — sic fit. — L puta decem p x n p 10

	signa mensurarum	
vncia —	℥ ℥ ℥	i. vncia vna vel se i. s. mis
Dragma —	ʒ ʒ ʒ	.v. p v. no p. s. qa semis signat
Scropulus —	℈ ℈ ℈	.viij. sic n p 9
Granu —	g g g	vj. p v. n p 6
Manipulus —	m.	.i. s. ap calcu larons signat qu [illegible]

vnne duodecim sunt una libra
Dracme. 8. sunt vncia una
Scropuli. 3. sunt dracma una
viginti grana puta frumenti sunt scropu-
lus unus.

Ana i. equalem partem, i. tantum de uno quantum de alio. Manipulus quod manu comprehendi pt

Manipulus est de his que parui sunt momenti sicuti de herbis in hijs decoctionem aliquam ingredientibus. 1541. Kl. octobris [illegible]

Ant. Benedicti [illegible]
[illegible] [illegible]latorum a [illegible] nomen medicorum est alia qua
[illegible] scribendo receptas.